Universitätsbibliothek Paderborn

# Homiliæ Qvadragesimales Reverendissimi D.ni P. F. Hieronymi Baptistæ De Lanvza Venerabilis memoriæ Episcopi Barbastrensis & Albarrazini, Ord. FF. Prædicatorum

Ex Hispanico idiomate in latinum perfectè fideliterq[ue] iuxta posteriorem omnium, nouamq[ue] editionem translatæ, & ab innumeris cùm S. Scripturæ, tùm SS. Patrum typographicis erroribus emendatæ ... cum triplici Indice ...

**Lanuza, Jerónimo Bautista de**

**Antverpiæ, 1649**

Primo die Veneris Quadragesimæ. Homilia Tertia. De dilectione Inimicorum. Audistis, quia dictum est antiquis: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Matthai. 5.

urn:nbn:de:hbz:466:1-53012

gnitionis gradibus, vt eius verba demonſtrant Hæc eſt fides (ait Chriſtus) quà maiorem in Iſrael non inueni. Voluit his verbis confundere (ait D. Petr. Chryſol.) Iudæorum incredulitatem, & eorum qui præſentes adſtabant, perfidiam, & ex ore militis pagani populi ſui primores condemnare. *Non inueni tantam fidem &c.* O fidem militis Hiſpani, quæ maior fuit, omnium iſtorum fide Iudæorum Talis fides quid meretur? *Vade, ſicut credidiſti: fiat tibi* Tua fides ſit beneficiorum meorum æqua menſura, & cum ita cæteris præcellat, quàm non erunt cæteris præcellentia beneficia? O magnum militem! ô præclarum Magiſtrum! ô eloquentem Oratorem, qui tantâ hanc orationem gratiâ compoſuiſti. *Domine non ſum dignus &c.* Hanc ex eius ore ſumamus, dicamuſque: *Domine non ſum dignus* Domine, non meremur, niſi flagella, & perditionis abyſſum: verumtamen vnicum à te deprecamur verbum: *Tantum dic verbo:* Loquere animæ noſtræ, illam erudi, ei inſpira, & ſalua erit, in hoc mundo per gratiam, ſalua in altero per gloriam. Amen.

# SVMMARIVM

## HOMILIÆ TERTIÆ SEQVENTIS.

CONTINET hoc Euangelium præceptum diligendi inimicos: a §.1.
fructum eſt durum, & vt digeri poſſit, debent illud mandere b §.2.
prædicatores, qui ſunt dentes Eccleſiæ *a*. Hoc vero fit, oſten- c §.3.
dendo, non ſolùm non nociuum eſſe illud obſeruare, quin po- d §.4.5.6.
tius ſecum trahere, tria genera bonorum, quæ poſuit D. Am- e §.7.
broſ. Delectabile, honeſtum, & vtile *b*. Primum eſt bonum f §.8.
delectabile *c* & facile *d*. Secundum eſt bonum honeſtum & ho- g §.9.10.
norabile *e* quo ſe quis oſtendit fortem *f* Chriſtianum, *g* & hone- h §.11.
ſtum, quo ſe Deus ipſe *h* & ſancti eius honorari cenſent *i*. Tertium eſt bonum vti- i §.12.
le *k*, eo quòd ſit efficax remedium ad obtinendam peccatorum remiſſionem *l* & vt k §.13.
homo verè per gratiam ſit Dei filius *m*. l §.14.15.16.17. m §.18.

§.1. *Prædicatores ſunt dentes Eccleſiæ, quorum cura eſt duriores diuinæ legis morſus commanducare, vt poſſint deglutiri.*

§.2. *Eſt hoc præceptum difficile, & ſi fieri potuiſſet iam nunc per contrariam conſuetudinem fuiſſet abrogatum, maximè inter Hiſpanos.*

§.3. *Eſt hæc lex eo delectabilior cum ſit Dei lex, quo duriores ſunt & crudeliores leges Dæmonis.*

§.4. *Facile eſt hoc præceptum, eſt enim ſcedula conſignationis Dei, ex amore, quo eum diligere obligaris.*

§.5. *Leue tibi erit inimicum diligere, non eum conſiderando, ſed eum qui tibi hoc præcipit, ne pereas vt ceruus, nec te furor occidat.*

§.6. *Chriſti nomini obediunt omnia excipio cor hominis, ipſo flumine Pado magis refractarium.*

§.7. *Verſatur hæc lex circa bonum honeſtum: Deus enim tam ſolicitus eſt honoris, & magni honoris actus eſt, offenſam remittere.*

§.8. *Hæc eſt fortitudo maxima, iniuriarum obliuio: vt patet in Deo & Dauide.*

§.9. *Hæc lex, lex eſt Reipublicæ Dei, quocirca honorificum eſt ei illam ſeruare, qui venit in illa.*

§.10. *Confundit Dauid eos qui vindictæ leges ſectantur, Iob imitare: corona te hoc libro, & equi collo circumda hinnitum.*

§.11. *Summo ſibi Deus deputat honori, remittere iniurias, quem ſancti imitantur.*

§.12. *Viri Sancti ex remiſſis iniuriis cudunt ſibi ſcuta armorum ad ſui gloriam.*

§.13. *Lex hæc vtilis eſt, & vindictam ſumere, maius infert damnum vindicati, licet inimicum ſolo proſternat.*

§.14. *Medium efficaciſſimum obtinendi peccatorum remiſſionem, eſt calumniarum remiſſio.*

§.15. *Oratio tua veritati innitatur, & Chriſtum audi:* Quodcumque ſupererogaueris: *& hoc quod D. Paulus Philemoni ſcribit.*

§.16. *Oleum miſericordiæ vaſis infunde vacuis: velut illa vidua, quo veſtra ſoluentur debita.*

§.17. *Qui inimico non remittit, ei Diuina non proderit miſericordia, ſicut nec Ioab cornu altaris.*

§.18. *Huius legis obſeruatione, maximum omnium obtinetur donum, quod homini Deus concedere poteſt, & hoc eſt, vt in rei veritate ſit filius Dei.*

# HOMILIA III.

## DE DILECTIONE INIMICORVM.

Primo die Veneris Quadrageſimæ.

*Audiſtis, quia dictum eſt antiquis: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* Matthæi 5.

OFFERTVR nobis hodie Euangelium legibus gladiorum multum oppoſitum, & duelli litteris in hoc mundo ſtabilitis contrarium: in hoc enim nobis D. Apoſtolus & Euangeliſta Matthæus ſupremi Regis ſcriba, deſcriptum prælegit, celebre illud decretum, quod in congregatione quaſi Curiæ, quam Chriſtus ſuorum magnatum inſtituit, conſeſſu, vt ſecuram & fundamentalem petram ſtabiliuit, idque in bonum ſuæ Reipublicæ regimen: & hoc eſt; dilectio inimicorum. Præceptum eſt adeo contrarium inclinationi, & noſtræ corruptæ naturæ guſtui aduerſarium, vt cum tantum ſit, non ſolùm hominum erat memoria eraſum, ſed ei oppoſitum, hominum cordibus adeo inſculptum, vt illi ipſi, qui mundi totius cenſebantur magis religioſi, &

I. Dilectio inimicorum mūdo contraria.

continuæ cum Deo communicationis, notitia Sacramentorum eius ac voluntatis illuſtriores, Scribas intelligo & Phariſæos, illud vt Dei legem populo proponerent, & perſuadendo: & docendo quidquid Deus in ſua nobis præcipit lege, noſtro appetitui, & inclinationi optimè conuenire; amare amicum & inimicum exhorreſcere. Ab hoc nos liberat dolo Chriſtus, & ſaniora docet diuinus ac ſupremus legiſlator. & id quidem tali intentione, vt ad hoc montis aſcenderit faſtigium, quod ſibi in cathedram erexit, & in eo reſidens celeberrimam illam habuit concionem; in qua Euangelicæ legis iecit prima fundamenta, & vitæ Chriſtianæ elementa. Aperiens igitur os ſuum, & verba ſua ad Apoſtolos dirigens, qui vtique futuri erant Magiſtri noſtri, & in illis ad nos & totam Eccleſiam: ait: Iam olim audiſtis, & modo vobis dicunt illi, quos magiſtros habetis, quòd Deus in lege Patribus antiquis lata hoc præceperit: *Diliges proximum tuum & odio habebis inimicum tuum:* ego autem, qui ad hoc veni in hunc mundum, vt vobis exponerem Patris voluntatem & fraudes ac dolos omnes detegerem, clariſſimè proponerem ac mandarem, id quod veſtræ ſaluti abſolutè eſt neceſſarium, vobis dico, ordino, & præcipio, vt non tantùm amicos veſtros diligatis ſed inſuper & veſtros inimicos: & benefaciatis eis, qui vos oderunt, & oretis pro eis qui vos perſequuntur, teſtes in vos proferunt, & furorem exercent: vt videamini, & *ſitis filij Patris veſtri, qui in cœlis eſt*: qui non ſolis benefacit ſuis amicis, quales ſunt iuſti omnes, ſed inſuper ſuis inimicis peccatoribus, & ſolem ſuum inſtar ful-

gentiſſimæ facis oriri facit, vt illuſtret, tam eos qui diuinum eius laudant nomen, quàm eos, qui eum blaſphemant; & pluit ſuper iuſti vineam qui ei ſeruit, & peccatoris, qui eum offendit: & vos ipſos tales oſtendite, ſi vos filios talis patris eſſe gloriamini. M[illegible]datum hoc eſt difficile, arduum & aſperum [illegible]dami naturæ: verumtamen, reddet illud non ſolùm leue, ſed & facile, & ſuaue Spiritus S. gratia, illam rogitemus per interceſſionem eiuſdem theſaurariæ, eam ſalutantes. *Aue Maria.*

### §. I. *Prædicatores ſunt dentes Eccleſiæ, quorum cura eſt duriores diuinæ legis morſus commanducare, vt poſſint deglutiri.*

a in Pſal. 118. ſerm. 16. b Orat 7. in Cant. c In c. 4. Cant.

OPinatus eſt Diuus Ambroſius *a* & ante illum inter Græcos celebris Diuus Gregorius Nazianzen *b* & demum D. Gregor. Papa, inter Latinos admirabilis *c* maximè proprium fuiſſe Hieroglyphicum, & diuinum ſchema, quo cæleſtis ſponſus officium declarauit Prædicatorum Eccleſiæ, eos Eccleſiæ dentes nominans. Aggreditur cæleſtis ſponſus diuina quadam vrbanitate verborum Sponſæ ſuæ Eccleſiæ pulchritudinem prædicare, & eam per partes ſingulas ſeu membratim conſiderat, caput, capillos, oculos, labia, collum, pectus &c. in quibus pariter exponit ſubtili quodam ſtylo, diſtincta, & propria exercitia, & fidelium officia, ex quibus illa componitur; In particulari verò
Cant. 4. 2. eius extollit dentes: *Dentes tui, ſicut greges tonſarum, quæ aſcenderunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus, & ſterilis non eſt inter eas.* Per dentes ſignat Prædicatores, & reſolutoriè illos extollit ex eo, quòd in dentibus, vt magis excellens prædicatur: eſſe illos albos, nitidos, fortes, vnitos, æquales, velut oues albæ, lotæ, nitidæ, inter ſe cohærentes, iunctis ſibi agniculis, inter quos nulla intercurrat vacuitas: tales enim oportet eſſe prædicatores, albos puritate, nitidos ſanctitate, virtute fortes, charitate vnitos, in doctrinâ æquales, vt illud impleant, quod D. Paulus Præ-
1. Cor. 1. 10. dicatorum Magiſter ordinauit: *Obſecro autem vos, fratres, per nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata*: Videamus modo cur diuinus ſponſus
I. dentibus comparet Prædicatores?

Cur prædicatores dicantur dentes. Reſpondent prædicti Patres: Quia hoc eſt prædicatorum officium, illud agere in corpore Eccleſiæ myſtico, quod dentes agunt in naturali. Perſpicuum eſt, dentes præcisè requiri in corpore, vt cibos diſponant, quibus ſuſtentetur. Indiget homo, & quodcumque viuens alimento, quod in ſtomachum traiici non poteſt, nec prodeſſe, ſicut eſt in ſe, niſi ad id præparetur: ad hoc requiruntur dentes, qui hoc agunt, vt bolus poſſit deglutiri, qui non poſſet integer, & illum commanducando, fit, vt eum ſtomachus queat digerere, niſi enim hoc fieret, mortem adferret, vt multis accidit, qui apoplexiâ vel cibi nimia repletione corruerunt: eo quòd integras partes carnis vel crudas herbas deglutierint. Alimentum animæ, lex eſt diuina, quæ tot habet bolos, quot legis mandata. Hæc eſt quæ animæ vitam conſeruat. Et ſicut ille, qui cibo abſtinet, viuere non poteſt, ita & illi, qui Dei non ſeruat præcepta, æternum viuere eſt impoſſibile. Hoc Chriſtus inſinuauit adoleſcenti, teſte D. Matth ſic eum interroganti: *Quid* Matt 19.
*faciendo vitam æternam poſſidebo?* (Cui ille) *Si* 17.
*vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Addo & aliud Chriſti verbum: *Meus cibus eſt, vt faciam* Ioan. 4.
*voluntatem eius, qui miſit me.* Ob hanc ratio- 34.
nem lex Dei, lex vitæ vocatur. *Lex ſpiritus vi-* Rom. 8 2.
*tæ.* Integra & tota debet deglutiri & ſumi, ſi viuere deſideres: hic verum eſt prouerbium hoc: aut comedere, aut mori.

D. Ezechieli & D. Ioanni præſcribitur, ſi vi- 3
tam velint, integrum deuorent volumen, quod Apoc. 10.
eorum manibus offerebatur, quo lex Dei con 9.
tinebatur; & in ipſis videtur nobis Deus idem volumen offerre, dicens: *Comede volumen iſtud.* Ezech. 3. 1.
Sumito illum bolum, bolum durum ad deglutiendum, & aliquando occurret tibi bolus tam aſper & durus, vt os dixeris, & tibi ſit impoſſibile illum in ſtomachum traiicere, & minus illum digerere: Subſannat D. Hieron. quendam Lib. 2 con-
Pelagianum, in quem ſcribit, qui, Magiſtri ſui tra Pelag.
Pelagij ſecutus doctrinam, diuinæ gratiæ, ad implendam Dei legem negabat neceſſitatem, & eo nititur fundamento, quod Dei lex facilis eſſet obſeruatu, nec quidquam in ea nobis à Deo præcipi difficile: quocirca nobis ad eius obſeruantiam ſufficere proprias vires ac naturales. O ſus Bœotica (ait D. Hieronym.) An tibi tam facile videtur id omne, quod Deus ſuâ nobis lege mandauit! Vbinam eſt illud quod ait: *Si quis* Luc. 9. 23.
*vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotidie.* An tibi hoc tam leuidenſe? Vbinam illud quod tibi præcipit: *Si quis te* Matth. 5.
*percuſſerit in dexteram maxillam, præbe illi & alteram, & ei qui tecum vult iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte illi & pallium?* Vbinam & illud: vt vitam tuam abneges,

& pro-

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

II. Lex Dei obſeruatu difficilis.

& propriam oderis animam, & tui ipſius martyr efficiaris; oculos eruere, ſi te ſcandalizant; præſcindere manus ac pedes, ſi tibi ſint offendiculo?

Ipſe qui diuinam ſuam legem promulgauit, eam vt aſperam, arctam, & difficilem proteſtatur, ac proinde à paucis inuentam & tritam, & hoc per D. Matth. dixit, vſus quadam interrogatione phraſi communi Sacræ Scripturæ ad exprimendum ſuperlatiuum gradum. *Quam anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inueniunt eam?* Ita cecinit Dauid, vt exprimeret diuini nominis celſitudinem: *Domine Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra?* Et vt gloriæ magnitudinem declararet, interrogat. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine?* Multos igitur habet diuinæ legis alimentum difficiles, quos traiicias & concoquas, bolos. Ad hoc autem neceſſarij ſunt dentes, id eſt, Prædicatores, qui ſuo ſtudio, eloquentiâ, diligentiâ, conſideratione & doctis concionibus, Dei obſtetricante gratiâ, bolos illos molliant, leniant, commandecent, vt de facili comedi, traiici & digeri poſſint, exponendo, perſuadendo, & omnes occurrentes difficultates alleuando.

Matth. 7. 14.
Pſal 8. 2.
Pſ. 30. 20.

## §. 2. *Eſt hoc præceptum difficile, & ſi fieri potuiſſet, iam nunc per contrariam conſuetudinem fuiſſet abrogatum, maximè inter Hiſpanos.*

☞ 4
D. AVG. a *In Pſal. 118. ſer. 6. ad finem & ſer. 8. & 9. de Sanctis.* b *in c. 5. Matth.*

INter omnia diuinæ legis duriora præcepta, illud ſecundum mentem D. Auguſt. *a* cum impoſſibili decertat, quod præ manibus habemus. Scilicet amor inimicorum: *Recole, ait, in omnibus iuſtificationibus Domini, nihil mirabilius, & difficilius eſt, quam vt ſuos quiſque diligat inimicos.* Eſt autem hoc tam arduum, vt ob id præcipuè (ſicut notat D. Hieron *b*) quidam aſſerere auſi fuerint, Deum nobis præcipere impoſſibilia; iudicabant enim præceptum hoc euertere ipſam naturam, propriæ contraire inclinationi, & deſtruere appetitum.

Et hoc in tantum, vt ſi lex Euangelica, nullum aliud præter hoc, præceptum contineret (teſte D. Hieron.) illud ſolum ſufficeret, vt illam tanquam arduam, & naturæ fortiſſimæ & validiſſimæ difficillimâ iudicaremus. Et hoc patet in eo quod accidit tempore D. Aug. vt ipſe teſtatur. Erat Marcellinus Nobilis Romanus præcipuus, & Chriſtianus, fidei Catholicæ adeo zeloſus, vt pro illa martyrium ſubierit, vt refert D. Hieronym. Hic Romæ laborabat ad legis Euangelicæ obſeruationem Gentiles & idololatras adducere: vt vero res feliciorem haberet exitum; familiaritate coniunctus eſt D. Auguſtino, quem quotidie per litteras conſulebat, qui ad eius petitionem compoſuit illos viginti duos libros de ciuitate Dei, quos ſatis nemo laudauerit. Et inter alia, de quibus eum conſulebat, hoc vnum fuit de præcepto diligendi inimicum, dicens: quod dum Gentilibus legem proponeret Euangelicam, bene & attentè eum audirent vſque dum hoc illis præceptum proponeret; & ſibi hoc quod Chriſto, contingeret: dum quadam die prædicaret profunda & diuina myſteria, attenti eum audiebant, qui præſentes aderant: at dum nauim in altum duceret, & ſanctiſſimæ Euchariſtiæ panderet Sacramenta, ecce turbantur, repugnant, retrocedunt: *Durus eſt hic ſermo. & quis poteſt eum audire?* Ita contigit Marcellino; Audiebant illum Gentiles, & quidem libenter, de lege Euangelica concionantem. Verumtamen vt primum cœpit proponere præceptum illud: *Diligite inimicos*: Reſiſtunt omnes, turbantur omnes, vociferantur omnes: *Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire?*

Lib. 2 contra Pelag.
Epiſt 5. ad Marcellin.
Lib 3 contra Pelag. ad fin.
I. Dilectio inimicorum difficilis.
Ioan 6, 61.

Primò namque iudicabant hanc legem repugnare legi naturali: manifeſtum enim eſt, quòd ſecundum naturalem inclinationem, vnumquodque abhorret ſuum contrarium: ignis aquam, quæ illum conatur extinguere, & aqua ignem, qui quid non agit, vt illam conſumat? Repugnat agnus lupo, canis feli, & nullum animal tam manſuetum, quod non inſurgat in ſibi contrarium, vſque ad formicam, cui dum illam proteris, ſua bilis ineſt. Hæc naturalis inclinatio nequaquam mala eſſe poteſt, cum eam ipſe naturæ conditor infuderit, qui pariter & ſuos odit inimicos: de quo ita Sapiens: *Odio ſunt Deo impius & impietas eius.* Secundo aiebant: Hæc lex abſit, vt bona ſit, quin potius omne noſtrum deſtruit & euertit bonum. Omne namque bonum, quod prætendere vel obtinere poteſt homo, tribus ſpeciebus boni deſcribitur. Vt notat D. Ambroſ. *a* & exponit D. Thomas *b* bono ſcilicet delectabili, honeſto & vtili. *Omne bonum, aut eſt delectabile aut vtile, aut honeſtum.* Quidquid laborantes prætendunt, aut ſunt deliciæ, aut honores, aut commoda. Hæc autem lex, nec bonum horum aliquod continet, nec adducit, quinimò, hæc omnia deſtruit. Primum enim quod præcipit non eſt delectabile, verius dixero, nihil magis bono obſtat delectabili: quiſque

Sap. 14, 9.
a Lib. 1 de officiis c. 9. & 10.
b 1. 2. q. 34 a 6.
5 ☞ II. Omni bono repugnat.

quiſque in ſeipſo conſideret. Sed nec adducit honorem: quin potius honoris parturit jacturam, qui illud ſeruat, & receedit, quando calumniis & dicteriis appetitur: talem enim vt ſocordem, & gallinam madidam cenſent, pro-

(a) Gallina mojada.) uerbium eſt. (a) Vſus ſic habet: quando duo inter ſe rixantur animalia, duo canes, duo tauri, feles duo, etiam duo paſſerculi, qui fugam capit, & campo cedit, hunc vecordiæ, & puſillanimitatis notamus. Similiter nec vllus eſt emolumenti: enim his qui te paſſim iniuriis afficiunt, non contradicas, & in eum, qui te percutit, non inſurgas: vnus tibi pallium auferet, & alter vitam quoque ipſam eripiet. Ad hoc omnibus natura hanc indidit inclinationem ſibi contrariis reſiſtendi, vt quodlibet eorum ſe in ſuo eſſe conſeruet, ſi enim vis vi non repellatur, illico omnis per ſui contrarium concidet fortitudo.

Quod adeò verum eſt, vt hinc probet Phi-

Lib. 2. de cælo. loſophus; præcisè neceſſarium fuiſſe, vt mundus componeretur ex contrariis, & vnum contrarium alii ſe opponeret ac reſiſteret. Si enim igni nullum opponeretur contrarium, cuncta ſuo calore conſumeret; & ſi frigori calor non occurreret, qui illud temperaret, cuncta congelarentur. Denique ipſe Spiritus ſanctus hoc

Lib. 11. de ciuit. c. 18. Ecc. 33. 15. Ecc. 33. 15. & 42. 25. ipſum indicauit, vt exponit D. Auguſt. hac ſententia ſæpius repetita. *Contra malum bonum eſt; & contra mortem vita, & ſic intuere in omnia opera Altiſſimi, duo contra duo, & vnum contra vnum. Nec fecit quidquam deeſſe.* Hæc, & multa alia ad rem (ait Marcellinus) objiciebant Pagani contra hanc Dei legem, ob quæ, illam hæc ita præcipientem bonam non eſſe concludebant. Et ſatis manifeſta eſt hæc difficultas: cum quantumcumque Euangelium in toto terrarum orbe fuerit prædicatum: numquam tamen præceptum hoc fixam ſedem in hominibus figere potuerit vt ad litteram obſeruaretur, quin potius judicans mundus contrarium eſſe honorificum, vtile, ac delectabile, in ſuorum cordibus adeò efficaciter inſculpſit legem ei contrariam; quam ſcriptam circumfert in libro duellorum vt etiam inter Chriſtianos, hæc lex (a) ita mordicus

(a) calle-ctiua) & pertinaci ſeruetur conſuetudine, vt ſi contra Dei leges præualeret præſcriptio, ſeu abrogatio, jam nunc nulla nobis eius præcepti ſupereſſet memoria; Particulariter autem in Hiſpania; vbi ob nobilium magnos animos & cordis elationem (teſte P. Magiſtro Fratre Ioanne de Ponte, in ſua Monarchia, cui tota multum debet Hiſpania, eo quod tam eleganti calamo eius expoſuerit prærogatiuas) adeo firmum obtinuit locum, id quod honoris concernit conſeruationem, & nominis æſtimationem, vt nihil magis verè dixeris, animas orco remittere defunctorum, quàm hæc jam inſolita conſuetudo.

Et quantum ego opinor, & mecum D. Hie- 6

In c. 32. Ezech. ronym. hoc ipſum Deus inſinuauit, dum olim Ezechieli oſtendit inferni ſuppliciis cruciatos. Ad hoc, cum illum præmonuiſſet, vt pullo & lugubri indueretur veſtimento, quaſdam deploraturus nationes, quas illi digito notaret: Mentis exceſſu raptum ad inferna deduxit, vbi, quaſi III.

populoſam, ac celebrem pertranſiret ciuitatem, Hiſpanos per diuerſarum nationum plateas diſtinctam, præuidit diuerſos illi populos oſtendit, qui illic ſedem Ezechiel. fixerant, vt eiuſdem jam oppidani: Et cum illa ſit regio, in qua mors regnat: ciuium illorum domus omnes, ſepulchra erant, tali artificio erecta, vt in quolibet, damnationis ſingulorum cauſſa legeretur, admirabili quodam hieroglyphico deſcripta quo exprimebantur vitia illa, quæ in qualibet natione, conſuetudine publica inoleuerant, & pro lege recepta ſeruabantur. Diſcurrit igitur totum Ægyptiorum vicum, in quo hi omnes ſuis in ſepulchris morabantur: eorum enim quodlibet ſepulchrum inſtar domus erat huius vici ſeu plateæ: dein alium ſimiliter Arabum, & poſt hos Elamitarum: Tandem in vicum incidit Hiſpanorum, quos vocat Tubal, quo nomine S. Scriptura ſignat communiter Hiſpanos: Tubal enim, poſt diluuium Hiſpaniam coluit; fuit hic filius Iaphet, nepos Noe, qui eò cum filiis ſuis de- *Tract. 4.*

uenit. Ita aduertunt D. Hieron. Theodoret, & *n. 36.*

alii quos citauimus, & ſapienter proſequitur *In ſua*

præfatus P. Fr. Ioannes de Ponte. *Monarch.*

Negari non poteſt, Hiſpaniam noſtram mil- *lib. 3. c. 28*

lenis Sanctis celebrem, & beatorum exercitibus *§. 2. &*

triumphare, qui cælos colunt, & illuſtrant: cum *c. 33.*

inuictiſſimos & glorioſiſſimos dederit Martyres in Eccleſia percelebres; & tantus eſt eorum numerus, vt hi quibus noſtra gloriatur Cæſar Auguſta, ſint innumerabiles, & eo nomine tertio nonas Nouembris recolitur eorū memoria. Prælatos colit adeo præclaros, vt libros impleant hiſtoriarum, illuminatiſſimos Doctores, quorum libris ornantur Bibliothecæ, Illuſtriſſimos Confeſſores, virgines puriſſimas, viros inſignes, vt licet illi ſoli triumpharent in cælo, his multum ornaretur & coleretur, quibus Dei gloria quaquauerſum diffunderetur: quorum ampliſſimum catalogum contexunt hiſtoriographi; quā ob rationem D. Prudentius, vir eloquentia, D. PRVD

grauitate, & ſanctitate celeberrimus, hoc Sapphicum de eis cecinit epiphonema :

*Hymno de S. Fructuo*

*Deus Hiſpanos aſpicit benignus.*

7 Verum & hoc indubium eſt, multos Hiſpanorum damnatos & damnari, particulariter, hos omnes, qui ante Chriſti in hunc mundum aduentum, verâ fide caruerunt, & in Dei cognitione obcæcati permanſerunt; & hos principaliter ſignauit Deus Ezechieli, quorum vitia prodebant propriam cuiusque naturæ inclinationem : vt autem Prophetam doceret, quænam magis inter illas nationes eſſent vſu recepta vitia, monſtrat ea in latum diſtenta, vnumquodque eorum ſepulchro ſuo concluſum; ſimiliter vnumquodque eorum pro ceruicali gladiis diſtrictis vtebatur, pugionibus, ſicis, & aliis denique armis & axiomatibus libri duellorum. *Poſuerunt gladios ſub capitibus ſuis, & fuerunt iniquitates eorum in oſſibus eorum: quia terror fortium facti ſunt, in terra viuentium.* Quis melius deſcripſit Hiſpanorum conditionem: quos bene dixeris faſtuoſos Maximos, omnes ſibi ſubditas volunt nationes, quas è ſublimi rident; & præeſſe ob animi elationem contendunt; vt autem hoc aſſequantur, naturaliter præ ſe ferunt oculum & vultum adeo grauem, ac veneratione dignum, vt hoc ſolo mundum terrere videantur, & pedibus ſuperbiſſimos quoſque & fortiſſimos ſubſternere : & hoc ſignificat : *Terror fortium facti ſunt in terra.* Ob quam etiam rationem, vt aliqui Doctores notant, illos Deus nominat populum terribilem, quando agit de mittendis illis Euangelii prædicatoribus, populum formidandum. *Ite Angeli veloces &c. ad populum terribilem, poſt quem non eſt alius.* Septuaginta legunt : *Ad populum timendum & formidandum.* Hæc autem adeo vera & indubitata ſunt, vt Cicero nominet Numanciam oppidulum Hiſpanorum, terrorem, & populi Romani formidinem (alii Soriam vel Zomoram dicunt.) Addo Lucium Florum: qui aſſerit Romanis adeo terribiles fuiſſe Hiſpanos vt Romanorum nemo militis Numantini vultum fixis oculis auderet intueri, nec vocem eius audire: de quibus mira refert Auctor præfatus. Hinc illis innatum, armis ita deditos eſſe, vt de eis Franciſcus Franciæ Rex dixerit (teſte Marinæo Siculo) ſe opinari, ex ventre matris armatos illos prodire; Priſci illos Martis filios vocabant, quem particulariter adorabant Hiſpani: ita Strabo. Vnde de illis loquens Deus Ezechieli ait eorum peccatum fuiſſe; quod *poſuerunt gladios ſub capitibus ſuis*, quid dicitur (teſte D. Hieronim.) reponebant & collocabant ex propoſita animi voluntate ſub capitibus ſuis inſtrumenta bellica, arma, & vindictæ gladios. *Requieſcentes in animo perduelli* : in tantum vt nullam caperent quietem niſi illis ſuppoſitis Ob quam rem dicit Iuſtinus hiſtoriographus, quod dum illis externi non occurrerent hoſtes, cum quibus confligerent, domi hoſtem quærerent, *Si extraneus deeſt, domi hoſtem quærunt.* Concludit de illis Titus Liuius : *Ferox gens, nullam vitam rati, ſine armis eſſe.* Superbia hæc & honoris ſeu animi ſui æſtimatio, vitium eſt medullis oſſium inuiſceratum, proinde eorum inſignia ſunt nudi gladii, arma & inſtrumenta duelli: Illa, inquam, quibus & vnum ſibi ſubjicere, & alterum expugnare contendunt, cæteris cum nationibus ſuum propugnare honorem, & ſartas tectaſque duelli leges conſeruare Hæ inter illos maximè inualuerunt, & in tantum, vt, ſicut exorſi ſumus, ſi diuinæ leges per oppoſitam conſuetudinem & vſum contrarium poſſent abrogari : jam nunc in Hiſpania ne puluiſculus hujus præcepti ſupereſſet.

*Ezech. 32. 27.*

IV. Hiſpanorum deſcriptio.

*Iſai. c. 18. 2.*

*Oratio pro Muræna.*

*Lib. 3 c. 7. §. 1. & ſeq*

*Lib. 3. de ſitu orbis.*

*Iuſtin. Lib. 44.*

*Tit. Liv. Lib. 34. c. 17.*

8 Verumtamen diuinum eſt, & firmum fundamentum, quod S. Theologia concludit, quod exponit D. Thomas contra Dei præcepta nullam poſſe præualere præſcriptionem, quidquid ſceleratiſſimi & ſæculares moliantur, & oppoſitam illis conſuetudinem introducant. Et appoſitè nobis hoc ſignificat David (cujus ſententiam expendit D. Baſil.) dum ait : *Fidelia omnia mandata eius, confirmata in ſæculum ſæculi.* Norunt omnes decretum Spiritus ſancti nobis prælectum, qui cum dixiſſet & declaraſſet quâ ratione Deus, ſtatim ab initio creaturæ, creans hominem diuinas ſuas leges hominum cordibus inſculpſerit adeo profundè, vt qui eas eradat, ſit nemo (& hoc ipſum diximus de lege naturali quam auctor naturæ eidem impreſſit) & poſtmodum eas exterius ſcriptas in duabus tabulis lapideis, euulgauerit, vt in æuum durarent : adjungit : *Non ſunt abſconſa teſtamenta per iniquitatem illorum.* Non præualet malitia, licet ex ea confluat maris abyſſus, abſcondere vel diuinas leges ſubmergere Creſcant aquæ, infremant & adeo intumeſcant, vt ſubmergant nedum nauiculas, ſed & majores Galeones, triremes, onerarias, prædatorias, roſtratas, hominum conſilio, arte, & manibus conſtructas, æque ac ſi numquam eas homo maris fluctibus commiſiſſet: verum Arca hæc ex ligno quadrato & leuigato compacta, & Dei voluntate, decreto, & ſapientiâ

*1. 2. q. 34. a. 5 & 6. & q. 97. a. 3.*

*In Pſ. 110*

*Pſ. 110. 8*

V. Contra Dei legē nulla valet præſcriptio.

*Eccl. c. 17. 17.*

VI. Arca illi præfigurat integri neſcia.

conſtituta, his numquam poteſt aquis concuti, vt pereat; multiplicentur aquæ, accreſcant, furentibus vndis eam oppugnent, his ſemper ſuperior victrixque triumphabit. Licet malæ hominum conſuetudines in tantum præualeant, vt annihilent, abrogent, ſubmergant, quas ipſi condiderunt leges; diuinas tamen numquam extinguent: prius enim lupus ouem ducet vxorem: Hæ enim ſemper victores, ſemper fluctibus, vſibus, conſuetudinibus ſuperiores floruerunt. Ita nos alibi. Si contra Dei leges non datur præſcriptio, ergo nec contra hanc vlla valebit, cum ea ſit, quam ipſe proprio ore promulgauit, cum in montis cacumine reſidens in corona ſuorum diſcipulorum & numeroſæ multitudinis in ſonitu buccinæ eam proclamauit: *Audiſtis: quia dictum eſt antiquis &c. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros.*

*Tract. 4 n. 34. & ſeqq.*

Aures arrigite & præſentes adeſte. Ingenioſè ponderat Origen. hiſtoriam filiorum Iſrael. Eduxit Dominus Abraham de terra ſua, vt habitaret in terra Chanaan, idque in Geraris, ciuitate Palæſtinorum. Terra eſt ſicca valde & arida, præcepit Abraham ſeruis ſuis vt puteos foderent, ad irrigandos campos & arua, inter quos celebriores fuerunt: *Puteus viuentis & videntis; puteus iuramenti Berſabee.* Palæſtini vero terreni, inuidi illos obſtruxerunt, implentes humo: *Omnes puteos quos foderant ſerui patris illius Abraham illo tempore obſtruxerunt, implentes humo.* Accedit Iſaac, & cum vult mutare locum, præcipit ei Deus, vt in illa ſedem capiat promittens ei meſſem omnium frugum abundantem. Qui ſtatim ſedulus, puteis terram eruit, eoſque cunctis ſordibus expurgauit. Et licet ſe Palæſtini opponerent, omine tamen hoc auſpicato, peregit. Quid hoc rei? inquirit Origen. Quot puteos olim fodit Deus per manus ſeruorum ſuorum, ad irrigandum animas? Quot leges? quot ſtatuta? illos humo oppleuerant Phariſæi, falſarii, qui cupiditatum ſuatum terra illos obſtruxerant, vt nec ipſi ex eis biberent, nec alios bibere permitterent: quibus Chriſtus minitans ait: *Væ vobis legiſperitis, quia tuliſtis clauem ſcientiæ ipſi non introiſtis, & eos qui introibant, prohibuiſtis.* Ambulant per ſata Apoſtoli Sabbato, colligentes ſpicas, confricantes eas manibus ſuis, vt grana comederent; magnum delictum: illico queruli Chriſtum adeunt Phariſæi, Apoſtolos vt legis Sabbati tranſgreſſores inſimulant; obſtruxerant legem illam Sabbati, qui credebant, non licere Sabbato hominem curare ex legis præcepto. Adeſt Chriſtus Redemptor noſter, terram eruit, eos interrogans: *Non legiſtis, quid fecerit Dauid &c. Si autem ſciretis, quid eſt, miſericordiam volo & non ſacrificium, numquam condemnaſſetis innocentes.* Cæcum à natiuitate illuminauit Chriſtus, & eum condemnant tranſgreſſionis Sabbati: *Non eſt hic homo à Deo qui Sabbatum non cuſtodit.* Puteum hunc obſeruantiæ Sabbati, quem Deus per Moyſen foderat, & Phariſæi humo repleuerant, expurgauit Chriſtus, & tellurem extraxit vt ſanas regurgitet aquas, eum nobis tradens bene declaratum. O quis puteus iſte amor inimicorum, quantis eum ſordibus oppleuerant; verum eum hodie Chriſtus expurgat: *Ego autem dico vobis: diligite inimicos veſtros.* Durus hic videbatur bolus ſenſualitati: obſtruatur: *Audiſtis, quia dictum eſt: diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* Adeſt autem Chriſtus illum expurgans: *Ego autem.* Ne tibi perſuaſeris peruerſam hominum conſuetudinem in diuini præcepti præuaricationem introductam, contra Dei legem poſſe præſcribere. Hæc enim ſemper præualebit, quantumlibet hominum malitia ſeſe opponat, eique refragetur.

*Apud Lipoman.*

*VII. Allegoria de puteis obſtructis.*

*Gen. 26. 15.*

*Luc. 11. 52.*

*Matth. 12. 3.*

*Ioan. 9. 16.*

Inſolitum quid expendunt SS. Patres, & præcipuè D. Proſper de virga illa, quam Deus tradidit Moyſi, vt in ea mirabilia diuinæ Omnipotentiæ ſigna patraret. Proiecta in terram verſa eſt in colubrum, ſpectante Pharaone. Magi incantatores à Pharaone citati, vt virtutem, quæ in Moyſi virga relucebat apertius, deſtruerent, effecerunt & ipſi ſimiliter, virgas ſuas proiecerunt in terram, & ecce vertuntur in ſerpentes, vt virga Moyſi. Videbatur jam hoc prodigium virgæ Moyſi, in colubrum conuerſæ, illuſum & aliquid diuinæ Omnipotentiæ detractum, quæ teſtem ſuæ virtutis aſſignauerat hanc virgam, cum idem ſignum in virgis Magorum clareſceret: Verumtamen adeſt Deus, vt virgæ ſuæ fidem ſartam, rectamque conſeruet, voluitque, vt hæc ſola cunctis prodigiis Magorum præualeret, & omnes eorum virgæ verterentur in nihilum, ſen per palmam virtute virgæ diuinæ referente. *Deuorauit virga Aaron, virgas eorum.* Enucleat D. Aug. hoc verbum *deuorauit*, vt nihil earum ſupereſſet: quid hic ſpeculor? Arcanum quid: Serpens ſymbolum eſt ſapientiæ, & indicabat hanc coluber Moyſi, & Magorum ſerpentes; qui de Dei ſapientia differebant, quam Moyſes virgâ ſuâ manifeſtabat, Et de deceptoria ſapientia, quam conabantur Magi producere in contra poſitionem alterius, ne illa præualeret. O virgam Euangelicam! O ſapientiam diui-

*Apud Lipoman.*

*VIII. Virga Aaron, alias virgas, deuorat.*

*Exod. c. 7. 12.*

*q. 21. qq. in Exod.*

nam! *Virtus Dei eſt in ſalutem credentium.* Pro-
Rom. 1. c. 16. jectam terram, prædicata in mundo, munda-
nam deuorauit ſapientiam: *Vbi Sapiens, &c.*
1. Cor. c. 1. 20. *Nonne ſtultam fecit Deus ſapientiam huius mundi?*
Vbinam modo idola? quo euanuit cultus, quo-
ca homines adorabant? Quo fugit eorum ja-
ctantia, quâ ſibi terrarum orbem ſubjugaſſe
applaudebant: Iam nunc hoc totum in fumos
abiit. *Deuorauit virga Aaron virgas eorum.* Iam
Pſ. 109. 2. miſit Deus ſuæ diuinæ virtutis virgam, legem
Euangelicam, quæ toto dominaretur orbe. Ita
præcinit Dauid: *Virgam virtutis ſuæ emittet.*
*Dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum*
*tuorum.* In medio mundi omnia ſibi ſubjecit Et
quo dominio? quod hæc ſit illa ſola lex, quæ
prævalet, & cæteræ huic Euangelicæ legi con-
trariæ, titulum non mereantur legis, nec vt eis
obedientia ſeruetur, & omnes in nihilum eua-
neſcent; his omnibus ſuperior lex Euangelica
triumphabit. Sola autem Monomachiæ lex, vi-
res & auctoritatem inter homines videtur ob-
tinuiſſe, cum videamus, etiam inter illos, qui
de Chriſtiano nomine gloriantur, eam radices
egiſſe profundiſſimas. Timete vero, ne contra
vos Euangelicæ legis virga conſurgat, quâ vos
Deus, vt olim Pharaonem durius cædat, &
contra leges & conſuetudines veſtras præualeat.
*Deuorari ergo, & non deuorare potuerunt* (ait Ru-
Rup. pert.) *quæ deuoratrices eſſe videbantur, & non*
*erant.*

O Domine, & quis credat, quòd dum Chri-
ſtus ſuam abſcondit ſapientiam, eam & mundi
potentiâ, & doctorum non deuorent ſapientiâ?
Iſ. 53. 1. *Quis credidit auditui noſtro?* Porrò non deuo-
rabitur, quinimò, hæc cæteras deuorabit, eis
præualebit, eas ſuperabit: dum illæ exaucto-
ratæ & abrogatæ contemnentur; ita vt nulla
conſuetudo, lex nulla contra Dei poſſit præ-
Rom. 1. 16. ſcribere ſapientiam, floret enim virtus Dei in
lege Euangelica. *Virtus Dei in ſalutem.* O quam
Ioan. c. 6. 61. bene nobis tibi, Domine, licebit dicere cum
Iudæis retrocedentibus: *Durus eſt hic ſermo, &*
*quis poteſt eum audire?* Ad hoc eliguntur Præ-
dicatores, Eccleſiæ dentes, qui bolum hunc
commolant, comminuant, & reddant, ſuauem,
qui trajici, qui digeri poſſit, in animæ nutri-
mentum, charitatem intelligo; hæc enim eſt
animæ vita. Edendus eſt hic bolus, quem ſi
non comederis, morte morieris. *Qui non diligit*
1. Ioan. 3. 14. *manet in morte.* Durus eſt, commanducemus
illum & clarè perſpicies quod nedum non ſit
contra totius boni rationem, ſicut Gentiles ap-
prehendebant, ſed potius omnis boni ſpeciem
contineat delectabilis, facilis, honeſti, vtilis.
*Delectabile, honeſtum & vtile.* Comminuamus,
& de verbo ad verbum perpendamus, & Dei ad
hoc gratiam imploremus, qua vobis promitto,
id efficiemus, vt non ſolum vobis hic bolus non
diſpliceat velut aſper, & indigeſtus; verùm eo
fruſto nihil ſit ſuauius, & animæ ſapidius, vt
qui ederit illum, adhuc eſuriat, & qui biberit
adhuc ſitiat. Nec vobis multum videatur id
quod promitto, hoc enim ſibi Rex Dauid per-
ſuaſum habebat, dum ait: *Legem pone mihi,* Pſ. 118. 33.
*Domine, viam juſtificationum tuarum, & exqui-*
*ram eam ſemper.* Opinatus eſt D. Ambroſ. Da-
vid recordatum eſſe eius beneficii olim à Deo
Iſraelitis impenſi, quando eos de Ægypto edu-
cens, mirabilem illam accendit lucis columnam
in ducem præuiam itineris ad terram promiſ-
ſionis, quod ipſi per ſe auſi non fuiſſent ag-
gredi, cum per inuia & inaquoſa Arabiæ de-
ſerta eſſet proficiſcendum, quod ipſum & alio
loco Dauid inſinuat: *Notam fac mihi viam, in* Pſ. 142. 8.
*qua ambulem.* Eandem nobis ſemper repeten-
dam orationem prælegens. Hunc diſcurſum
proſequitur graui ſuo ſtylo D. Ambroſ. ad hoc,
adducens quædam ex Canticis ſcripturæ
loca.

Verum D. Auguſt. objicit, & quaſi attonitus Con. 11. in Pſal. 118.
hac orationis, ſic Dauidem interrogat. Quid
poſtulas, o vir ſanctiſſime? *Legem pone mihi,*
*Domine;* An legem tibi ſtatutam non habes? An
eam tibi non tradiderunt? Poſt eductum po-
pulum de Ægypto, illicò legem ei ſeruandam
præſcripſit: primum voce tam ſonora, vt eam
Moyſes, Aaron, & omnes audirent; cum præ-
miſiſſet, fulgura, tonitrua, ſonitum buccinæ,
vt omnes eam attenti intelligerent; & eandem
ipſam tabulis lapideis inſculptam tradidit, quæ
in teſtimonium arcæ incluſa aſſeruatur; quam
& tu o Rex, & omnis populus præſentem ado-
ratis. Denique nota eſt hæc ſententia quam di- Lib. 3. polit.
xit Ariſtoteles communem inter Philoſophos,
& maximè Platoni familiarem, vt refert D. Lib. 4. ſtrom.
Clemens Alexandrinus, & valde certam nobis
confirmat D. Paulus: *Lex juſto non eſt poſita.* 1. ad Tim. c. 1.
Hanc propoſitionem multifariam SS. Patres
elucidant. Quid igitur rogat Dauid: *Quid ergo*
*orat, vt ſibi lex à Domino ponatur, ſi non ponitur*
*juſto?* Dominum rogat (reſpondet D. Aug.) vt D. Aug. Tom.
ei Deus legem ponat, non ſicut populo anti-
quo, qui vt eam ſolis corporis auribus perci-
piebat, & ſcriptam tantum vidit, ſolis exterio-
ribus oculis, tam indigeſtam aſperamque judi-
cauit, vt eam nunquam aut potuerit aut vo-
lucrit

luerit deglutire: ſed vt eam animæ ſuæ inſeri-
bat, eo modo, vt intelligat iuſtificationes, quas
includit, & in eo id efficiat, quod poſtmodum
promiſit per Prophetam ſuum Ierem. ſic relatum
Hebr. c. 8. à D. Paul. *Ecce dies venient, dicit Dominus, & con-*
*ſummabo ſuper domum Iſrael, & ſuper domum Iu-*
*da teſtamentum nouum.* Attendenda eſt vis hu-
ius verbi: *Conſummabo.* Cœpit Deus legem
ſuam dare, & cum ſit homo corporeus, & om-
nis intellectus principium, ſint ſenſus corpo-
rei, eam dedit eo modo, vt illam corporis
auribus, & oculis perciperent, & vt talem tan-
quam aſperam, duram; quæ de facili non poſ-
ſet degluriri, accuſarunt. Verumtamen (re-
plicat Deus) dabo ei in teſtamento nouo vlti-
mam perfectionem, & pariter congruentem ei
ſpiritum, eam cordibus eorum & intellecti-
bus inſcribens, vt eius capiant & ſanctitatem
& iuſtificationem. *D. não leges meas in mentem*
Hebr. c. 8. *eorum, & in corde eorum ſuperſcribam eas.* Quan-
do quidquam non intelligis, ais, hoc menti meæ
IX. non incidit. Dabo, inquit, legem meam eo mo-
Lex do, vt eorum mentem penetret, & hoc requi-
Deidi- rit Dauid. Domine, ita mihi da tuam legem,
ligen- vt eius capiam iuſtificationes: *Legem pone mihi*
ter ru- *Domine.* Verbum (*pone*) transfert Symachus:
minan- *Demonſtra*, Aquila; *Illumina*, Apollinaris. *Doce*,
da. D. Hieron. *Oſtende mihi.* Vnde Dauid: Legem
tuam pone mihi, Domine, vt eam non tantum
auribus, & ſuperficialiter percipiam, ſed ut eam
intelligam; tam in ſe iuſtificatam, & mihi vti-
lem, vt ſi eam apprime intellexero, certum ſit,
eam me perpetuo ſecuturum, & magno mentis
ardore, & deſiderio quæſiturum. Vt autem hoc
ſignificet, non ait (ut notat D. Ambroſ.) *quæ-*
D. Am. *ram illam*, ſed *Exquiram*: quod ſignificat an-
xie, ſollicite quærere, ut fontem ſitiens exqui-
rit. Inſuper vt ſe magis declaret Propheta;
proſequitur: *Da mihi intellectum, & ſcrutabor*
*legem tuam, & cuſtodiam illam in toto corde meo:*
id eſt ſumma delectatione.

Ne tibi perſuaſeris Dei leges ſimiles eſſe Ma-
humetis præceptis, quibus vetabat, ne leges ſuas
perſcrutarentur: ſciebat enim hoc mentis ſcru-
tinio, earum ſtatim percipiendam & turpitudi-
nem, & irrationabilitatem: quinimo Deo pla-
D. Be. cet (ait D. Bern.) nos legem eius perſcrutari; ad-
Serm. do & Dauid eos beatos canonizare; *Beati qui*
62. in *ſcrutantur teſtimonia eius.* Notandum ex D. Bern
Cant. magno pondere nobis dici à Spiritu ſancto: *Qui*
Pſal. *ſcrutator eſt maieſtatis opprimetur a gloria.* Et non
118. 2. dici: *Scrutator voluntatis*: Equidem etſi non li-
Pro. 25. ceat arcana Diuinæ Maieſtatis ſcrutari, qualiter
27.

Deus vnus ſit in eſſentia, trinus in perſonis, qua-
liter procedat ex patre Filius via intellectus ge-
nitus, & non ſpiratus, & qua ratione Spiritus
ſanctus ex Patre & Filio, per actum voluntatis
non genitus, ſed ſpiratus; qua ratione ad ſui
gloriam quoſdam prædeſtinauit, alios vero re-
iecit, nec alia altiſſima, & profundiſſima ſa-
pientiæ ſuæ conſilia.

Verumtamen non male fecerit, qui Dei in
ſe collata ſcrutatur beneficia, eaque ex gratuita
ſua voluntate, & immerita, vt immenſas pro eis
referat gratias; leges quas illi Deus in ſuam
præſcripſit ſalutem, & bonum, vt eas ad amuſſim
obſeruet. *Formidoloſa ſcrutatio Maieſtatis* (ait)
D. Bernardus) *at voluntatis tam tuta, quam pia.* D. Be.
Ad hoc ſe unicum ſupplicat Rex David lucem
& intellectum: *Da mihi intellectum, & ſcrutabor*
*legem tuam*: Cum enim lex hæc ſit diuina, ad
eius iuſtitiam & iuſtificationem capiendam, ne-
ceſſaria eſt lux diuina. Ne eam ad lumen mundi
conſideres, aut terreni intellectus, nec ad lucem,
quæ ſuperficialiter tantum res intuetur, ſicut
mundi cultores faciunt; de quibus Propheta Ba- Baruc.
ruch: *Filii Agar, qui exquirunt prudentiam, quæ* 3. 23.
*de terra eſt, & viam ſapientiæ neſcierunt*: Sed à
Deo donum flagites intellectus. *Da mihi intel-*
*lectum*: Quod lumen eſt quoddam ſupernatu-
rale, quod animæ medullas illuminat, vt ea vi-
deat & cognoſcat, ad quæ pertingere carnales
oculi minime poſſunt; ſicut proſequitur D.
Thom. Lux hæc eſt, cuius Dauid excellentiam 2. 2. q. 8
cognoſcens, Deo gratias agebat, quod ei il- a. 1. &
lam infudiſſet: *Benedicam Dominum, qui tribuit* 8. Pſal.
*mihi intellectum.* 15. 7.

Perſcrutans o Domine, legem ſuperna illu-
ſtratus luce, & dono intellectus, tam præcla-
ras in ea rationes boni inueniam, vt *cuſtodiam*
*illam in toto corde meo.* Voluntas habet pro ob-
iecto ſuo æquali & proprio, bonum; eo modo,
vt ad id ſolum & id omne, quod ſibi vt tale re-
repræſentatur, ſe conuertat, tanto maiori cum
impetu, quanto maiores boni rationes inuene-
rit. Quocirca ſi intellectu perſcrutante, in-
uenerit, & ſibi bonum tam ex omni parte per-
fectum obiiciatur, vt in eo omnes rationes boni
perſpiciat, bonum quod in ſe comprehendat
rationem vtilis, delectabilis & honeſti, ſeu
honorifici, ad id ſe totum conuertet. Om-
nes vero has rationes boni, reperiam o Do-
mine in lege tua, illam diuina tua luce
perſcrutatus, quamobrem *cuſtodiam illam in*
*toto corde meo.* Huic annecte id quod Di-
nus Auguſtinus aduertit, quoties in S.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

„ S. Scriptura nominatur lex Dei abſolutè, hoc intelligi de lege amoris, quam Chriſtus vocauit ſuum præceptum, & ex ea totam legem dependere declarauit; pariter & Prophetas. *Plenitudo legis eſt dilectio. Et qui diligit, malum non operatur.* Secundum hoc, principaliter loquitur Dauid de lege amoris. Illam ergo perſcrutemur, & attentis in ea totius boni cunctis rationibus, obligabitur voluntas eam ſumma cum voluptate cuſtodire, Dei corroborata ſubſidio.

Ro. 13. 10.

### §. 3. *Eſt hæc lex eo delectabilior, cum ſit Dei, quo duriores ſunt & crudeliores leges dæmonis.*

☞ 10 DIco primum, ſi rem attentius conſideremus, eſt hoc præceptum facile, ſuaue, & plenum dulcedine. Hoccine Pater? Omnino & ipſum videbis, manuque tanges, ſi primum verbum commanducemus, quod eſt illud pronomen, (*Ego*) quod primum Chriſtus dixit, quaſi fundamentum. Attende (quæſo) quis ſit ille, qui tibi dilectionem præcipit inimicorum. Hoc ipſum voluit per Iſaiam, vt in omnibus eius præceptis conſiderares, vt ea nobis facilia redderentur, & ea eſſe ſuauia intelligeremus. *Attendite ad me popule meus, & tribus mea, me audite: quia lex à me exiet.* Hæc perpendens D. Ioannes dixit abſolute: *Mandata eius grauia non ſunt.* Diligenter ſollicitus fuit D. Ioannes, vt ab ore Chriſti ſuſpenderetur, & maiori ratione dicere potuit illud Salomonis. *Ego os Regis obſeruo.* Duo notantur à Sanctis præclariſſima, in Chriſto Domino, dicere & agere. Alii tres Euangeliſtæ oculos ſuos particulariter coniecerunt in efficaces Chriſti manus, quibus tot ſtupenda faciebat miracula; proinde in illis enarrandis plus occupantur. D. vero Ioannes ſingulariter aciem ſuam ad Chriſti os deflexit, dum doctrinam eius & verba perpendit, quæ ex eius ore procedebant, proinde ad illa ſpecialius referenda calamum parat. Videtur interfuiſſe illi concioni, quam Chriſtus habuit in monte, vbi diuinus ille legiſlator aperiens os ſuum ſupernas promulgat leges, & in rei veritate, penè omnes, quas habemus, tum temporis decreuit, & inter illas hanc quoque. *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros*, quibus auditis, nos alloquitur: *Mandata eius grauia non ſunt.*

Iſa. 51. 4.

1. Ioan. 5. 3.

Eccleſ. 8. 2.

I. Dei mandata grauia non

1. Ioan. 5. 3.

Nolim inaduertenter prætereas hoc pronomen (*eius*) q. d. Attendite & videte, quis ille ſit, qui vobis hoc mandatum præſcribit, & ex eo clare elicietis grauia non eſſe: *Mandata eius.* Quis eſt ille? ipſa ſuauitas, ipſa gloriæ dulcedo. Hinc ergo collige, eſſe eius leges ſuauiſſimas, leuiſſimas, & dulciſſimas. Hoc fundamento nixus D. Chryſoſt. eleganter, & ſubtiliter diſcurrit *a* de quo ſcripſimus alibi *b* In omni bona philoſophia hoc axioma receptum eſt: legem eſſe filiam legiſlatoris: nihil enim aliud eſt, quam decretum cuſum & conceptum in mente legiſlatoris (quam D. Aug. vocat ventrem animæ) in pectore & viſceribus eius, quod ore quaſi parit; proinde neceſſario ſimile debet eſſe legiſlatori; & valde conforme eius intellectui, pectori, viſceribus, & eius naturæ apprime conueniens, ſicut filius per omnia ſimilis eſt patri, qui eum genuit. Quocirca catulus Leonis, fortitudinem habet eius, qui eum genuit, nec eſt illi aliunde quærenda: Tigris vero ſecum annatam defert viſcerum crudelitatem, in quibus fuit concepta; & lupi catulus voracitatem propriam ei, qui eum peperit: & vulpes docta verſutias ad decipiendum, ſine magiſtro; pariter & agnus ouis parentis præfert manſuetudinem. Quis non admiretur artificium ſublimatorium ab hominibus inuentum ad diſtillandas aquas. Iniicis ventri eius herbas, & calore ignis, qui illum calefacit, vapores eliciuntur, qui in ſuprema ceu conuexum aſcendunt, qui ibidem compreſſi, paulatim, per os, ſeu ſublimatorii fiſtulam diſtillantur; & effluit aqua clariſſima. Qualis vero eſt illa, quæ effluit aqua? Talis, quales ſunt herbæ, quas in ventre ſublimatorii poſuiſti: Si roſas, violas, cariophyllon, lilia liqueſcit & guttatim defluit aqua odorifera. Verum ſi herbas fœtidas, & qualitatis fortioris immiſeris, ne mireris; ſi aqua effluat eiuſdem qualitatis: quia illis conformis eſt. Legiſlatorem in Republica bene dixeris eſſe ſublimatorium, qui loco ſinus emicent ex ore ſuo diſtillat aquas legum ſuarum impudiciſſimas, profluunt autem illæ, ex eo quod pectori incluſum gerit: Res enim conſiderat, ſecundum quod eas ipſe capit: illas perpendit, aſcendunt cogitationes variæ in caput eius, & hoc expedire, illud præiudicare, hoc præcipere, illud prohibere concludit, hinc profluunt, & eliquantur leges ex ore eius clariſſimæ. Hoc poſito, nemo ambigit, quin pectori eius & menti ſint conformes, & ei, quod intus gerit, conuenientes.

a Hom. 13 ad pop.

b Tract. n. 96 & ſeqq.

L. 1. Confeſſ. c. 3. & epiſt. 111. 1. & de moribus Manich. l. 1. c. 20.

II. Similitudo.

11 ☞ Hanc Chriſtus philoſphiam inſinuat dum ait: *Ex abundantia cordis os loquitur* &c. *Et bonus homo de bono theſauro profert bona, & malus homo de malo theſauro profert mala.* Eandem etiam

Matt. 12. 34.

docet

Eccli. 17. 7. docet Sapiens hic verbis: *Sicut ruſticatio de ligno oſtendit fructum illius: ita verbum excogitatum hominis, cor eius.* Vult dicere, ſicut ex textu Græco colligimus, & benè declarat Ianſenius Epiſcopus Gandauenſis, ſicut arbor vel planta, quæ de terra excreſcit, oſtendit, quid illud ſit quod operarius agricola in terræ viſceribus recondidit: quod ſi nux prodierit, nux erat, quæ in terra abſcondebatur; ſi malum punicum, ſemen plantauit mali punici. Ita dixeris de ſententia ſeu lege, quam homo ore ſuo profert; hæc enim arguit id, quod cordis viſceribus inclusum gerebat, cum hæc de corde eius procedat, vt filia tali patre genita, cuius naturam & ſimilitudinem referat. Quis hoc non reipſa experiatur in Pharaone. Hic Rex erat Ægypti, & vt à tali condendæ erant leges conſeruationi Reipublicæ neceſſariæ. Conſiderat populum Hebræum, cui prædeceſſores ſui, ob beneficia à Ioſeph olim recepta, honeſtum aſſignauerant habitandi locum, aduertit populum indies multiplicari nimis, germinantes, quaſi ſidera cæli. Quid tum? ſecum cœpit tacitus cogitare, ſi res ita vlterius proficiat, & populus in dies numero accreſcat: verendum, ne fortior nobis, arma ſumat, moueat ſeditiones, expugnatiſque nobis egrediatur de terra. Vt huic damno tempeſtiuè obuietur, legem omnibus condit obſtetricibus, quæ mulieribus Hebræis parientibus operam ſuam nauant, *Si maſculus fuerit, interficite eum. ſi fœmina reſeruate.* Bone Deus, vt in cor hominis tanta cadat crudelitas? Age, Rex crudeliſſime (vrget D. Auguſt.) quid hi commiſerunt paruuli criminis? quid contra regnum tuum moliti ſunt, cum vſque modo illud non intrarint, imo nec in mundum ipſum vt contra eos talem ſtatuas legem, ab omni clementia prorſus alienam? Ne mireris; Quæ enim lex ex tali ore proferri debuerat, niſi quæ conformis eſſet ei, quod pectori incluſum gerebat? Erat enim efferaræ ſæuitiæ homo, qui nemini magis parcebat, quam lupis; Deo refractarius, Getis ingratior, & vt paucis perſtringam, audiamus Spiritus S. de eo teſtimonium: *Surrexit Rex nouus, qui non nouerat Ioſeph.* q. d. Homo erat vilis, abiectus, tot receptis beneficiis inhumanus, ita vt ea modis omnibus ſtuderet abſcondere; & ab hominum memoria eradere, beneficia hæc tam præclara, quibus Ioſeph Ægypti regnum octoginta annis affecerat; Lex ergo tam inhumano, ferali & ingrato pectore enata, conuenire debuit tantæ inhumanitati, feritati & infanticidio.

III. Leges condunt Reges naturæ ſuæ conformes.

Exo. 1. 16.

Ser. 89. de tempore.

Exod. c. 1. 8.

Attende Nabuchodonoſor mundi totius Primatem Monarcham: hic legem ſtatuit, quicumque ſapientum, Aruſpicum, Ariolorum eius non poſſet coniicere ſomnium, illiuſque edicere ſignificatum: omnes perirent, & domus eorum publicarentur, & huic conformiter præcepit, magnus eorum numerus periret. *Vt perirent omnes ſapientes Babylonis*: Quia nocturnum eius ſomnium coniectare non potuiſſent. Dan. c. 2. 12. Quam legem iure merito Daniel vocat crudele decretum, *Crudelis ſententia.*

Deinde aliam condit legem, vt omnes adorent ſtatuam eius auream, quam erexerat, idque ſub pœna mortis, & hoc tam ſyncere, vt eius legis refractarios mitteret in fornacem ignis ardentis. Quis credat, quemquam adeo poſſe ſtulteſcere, vt tales promulget leges? Facile credes, ſi pectus eius Luciferiana inflatum ſuperbia & dæmoniaca ambitione turgidum, & Satanica præſumptione temerarium, & ſui ipſius æſtimatione ſtolidum aduerteris: qui le vt Deum credebat, & volebat vt inueniretur nemo, qui eius non obediret vel minimo verbo, imo & eius cogitationibus. Quam hinc ſperas legem enaſcituram, niſi quæ manum det tantæ ſuperbiæ, & euanidæ præſumptioni?

Tertium vobis produco Regem Saulem: bellum & congreſſum parat aduerſus exercitum hoſtium numeroſiſſimum; ſummo mane, eluceſcente die legem indicit, ne quis ſub pœna capitis aut comedat aut bibat; nec micam panis, nec guttam aquæ. *Maledictus vir, qui comederit panem vſque ad veſperam. Donec vleiſcar de inimicis meis.* Quis audiuit vnquam tale, aut quis vidit huic ſimile? Num quid exercitui magis eſt commune, quam congreſſionis tempore milites cibo potuque recreare, quo vires, quo animos, ad pugnam recipiant? Omnium in hoc conuenit ſententia. Perſpicuum enim eſt, ſi fame deficiant, illa prius quam hoſtis, illos proſternet. Et hæc fuit illa lex, quæ in vitæ diſcrimen adduxit filium eius primogenitum, addo & totum exercitum. Facilis eſt reſponſio; conueniebant lex & legiſlator: Erat ille homo edurus, fortiſſimus, querceus; qui biduanum poſſet ſeruare ieiunium, nec quidquam ei decreſceret, huic tanto robori lex correſpondebat.

12

1. Reg. 14. 25.

IV. Similiter & ſuperiores in religionibus.

Quid dicam? ipſa nos docet quotidiana experientia in Religionibus: quiſque enim Prælatus ſtatuta ſancit ſuæ naturæ & inclinationi congrua: Videbis Prælatum robuſtum, optime valentem, qui abſtemius tres dies perſeueret, & vigili

vigil: hic præcipit ieiunia, hortatur ad abſti-nentiam, prædicat pœnitentiam. Alium licebit videre triſtem, ſolitarium, hic ſilentium, ſolitudinem & ſeceſſum inſtituit: nec illum quid magis fatigat, quam ſi quis ſubditorum exeundi petat licentiam. Illum ſuſpicies vt ſpiritualem, orationis cultorem, chori amicum, quidquid agit, loquitur, præcipit, conſulit, chorum ſonat, & quod illum maximè cruciat, eſt in choro de-

*Hom.29. cit.*

fectus. Ex hoc principio trahit D. Chryſoſtom. leges Dei non poſſe non eſſe ſuaues, leues, beneuolas: dæmonis autem aſperas, duras, laborioſas, & mille difficultatibus innodatas: Si enim leges eſſe debent conformes legiſlatoris naturæ, & eius quod ipſe viſceribus gerit occluſum, tu conſidera, quid Deus ſuis recondat viſceribus. Quid vero Deus viſceribus recondit, niſi gloriam, requiem, dulcedinem, clementiam? Exclamat Sapiens: *O quam bonus & ſuauis eſt Do-*

*Sap.12,1.* *mine, ſpiritus tuus in omnibus. Tu Domine ſuauis*
*Pſ.85.5.* *& mitis*, exclamat Dauid. Et iterum: *Quam*
*Pſ.30.20,* *magna multitudo dulcedinis tuæ Domine*! Tales indubie, erunt leges, quæ de iſto procedent pectore. *Guttur illius ſuauiſſimum.* Sic ſponſa ſponſum laudat & ſicut in Hebræo legimus: *Guttur*

*Cant.c,5.16,* *illius ſuauitates.* Si profluere t aquæ riuus per tubum ſacchari nectareum, & omnes fiſtulæ ſeu canales, per quos defluit, panes eſſent ſacchari, & in ſua origine in ſacchari concauum decideret: quis huius aquæ caperet dulcedinem? Tales eſſe proclamo leges, Dei ore manantes,

*Apoc.c.21.15.* quæ ob hanc cauſſam vocantur à D. Ioanne: *Menſura arundinea.* Quæ leuiſſima eſt; prout
*Tract.5.p.3.§.5.* egimus. Dæmon vero, quid ſuo in pectore geſtat, niſi dæmoniacam malitiam, pœnam horrendam, ferocia tormenta, intolerabiles nequitias, terribilem Tigridem? Tales timendæ ſunt eius leges, & quidquid ſibi ſubditis mandat, feritatem, anxietatem, difficultates, tormenta, & mortem ſpirat æuiternam.

V. Nec non & diabolus.

Hoc facile eſt probatu, ſi ea ſpectemus, quæ idololatris præcipiebat, quem abſolute vt Deum adorabant, & eius regimine & legibus viuebant. Quid porro ab ipſis exigebat? Vt filios, ſibi chariſſimos enecarent, & ipſi eis necem inferrent, quos intimè diligebant & ſanguinem offerrent eorum, qui cæteros formæ venuſtate præcellebant; & proprii patres ac matres filiorum eſſent carnifices: Hoc ipſum toties nobis in memoriam reducit S. Scriptura per os

*Pſ.105.37.* Dauid: *Immolauerunt filios ſuos, & filias ſuas dæmoniis.* &c. *effuderunt ſanguinem innocentem* &c. Quinimo & noſtro æuo, in vnica ciuitate Mexico, antequam illis Euangelii lux effulgeret, quidam ibidem Diabolus adorabatur, qui hanc illis legem ſtatuerat, vt ei ſingulis annis offerrent viginti millia corda paruulorum, & in holocauſtum adolerent. Quis tibi infenſiſſimus hoſtis, ſæuiora peteret? Et modo, his qui ei ſeruiunt, attende (ait Diuus Chryſoſtom.) *Quæ mandet, non niſi duriora, laborioſa, & intollerabiles continentia cruciatus?* quid tibi præ-

I3 *Hom.29. cit.*

cipit? vt fureris, vt mactes, vt irrites, vt mulierem alienam ad inhoneſta ſollicites? quid eo laborioſius? ſi talia tibi Deus præciperet, quid diceres? ſi tibi Deus præciperet furari, & alteri pallium tollere, non quereteris? quid? quomodo hoc facturus ſum, multam ſecum trahit hoc difficultatem, & expono periculo honorem meum, meam ſalutem & vitam. Si tibi iniungeret, vt alienam vxorem prouocares, vel vicini tui filiam, an non opponeres? Domine arduum hoc eſt, & inexhauſti laboris opus, negotium eſt multæ anxietatis, audaciæ, periculi. Mille me expono controuerſiis, iurgiis, inimicitiis cum marito, cum patre, cum parentibus, cum mea vxore, & bonis omnibus; & vt ad rem recurrat oratio, ſi hæc eius eſſet lex vt perpetuas gereres inimicitias, vt pertinacem & vindictæ cupidum te exhiberes, vt numquam hoſtem in gratiam reciperes: quot replicas audiremus. Quid? num ſemper ferro grauatus & peruigil anxius incedam, ſcurras nutriens, inſomnis, propria erodens viſcera ira inflammatus, vitam meam dubiæ fortunæ exponens, & animam meam ſpinis vndequaque gerens circumſeptam! Hæc enim omnia neceſſario tibi forent agenda, vt ab hoſte vindictam ſumeres.

Non hæc tibi præcipit, ſed vt in pace viuas, & his contentus, quæ tibi Deus donauit, lætus dies tuos tranſigas, quietus in domo tua panem comedas, cum filiis tuis & vxore tota familia læteris, nec tibi cor nimiis terroribus & nociua ſollicitudine excedas; ſed his omnibus liber: ſecurus dormias. Non te turbes, non inquietes, nec de cubiculo aut lecto formidine territus excedas: An hæc non facilia? non ſuauia? Contrarium plenum difficultatibus, ſentibus & ſpinis negotium de quibus alias.

VI. Pariter & Deus.

*Tract.13.3.§.11.12.13.*

Quocirca præclara ſic concludit ratione Diuus Chryſoſtom, Perpende o Chriſtiane, vrgentes & multas illas rationes, quibus obligaris agere, id quod tibi Deus præcipit, & non id quod tibi Diabolus præſcribit. Prima ſit. Attende, illum eſſe Deum verum omni reue-

rentia & obedientia digniſſimum: Dominum tuum, patrem tuum, benefactorem tuum, tuum amicum, tuum redemptorem; qui tibi eſſe, vitam & reſpirationem dedit, qui te diuino ſuo ſubſidio fouet. Illa vero lex, ſit diaboli inimici tui, deſtructoris tui; qui tibi damnum intulit, mortem adſciuit & perditionem, & cui non aliud in mentem venit, quam te barathro abſorptum videre damnationis. Secunda ſit; quod Deus, cuius ſi legibus obtemperes, præmium offert, regna, gloriam, cælos, calcare ſtellas, & omnis boni abundantiam. Diabolus, ſi legibus ab eo factis conſentias, hæc ſunt, quæ tibi ſpondet; dolores, mortes æternas ignis, vermes corroſores, duriora tormenta & ſine fine duratura. Quando ad nihil eorum aures præbes, quæ tanti ſunt ponderis: id ſaltem egeris, conſiderando ea quæ tibi præcipit, cum diabolus nihil aliud tibi iniungat; quam labores, anguſtias, ſollicitudinem perpetuam, quæ ſi qui fecerint, tandem poſt puſillum laſſatos eſſe conqueruntur, & grauiſſimo pondere oneratos:
Sap. 5. 7. quorum lamenta ſic deſcribit Sapiens. *Laſſati ſumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulauimus vias difficiles.* Quæ vero tibi Deus mandat; ad quietem, pacem, ſuauitatem ſpectant, vt pacificus viuas, ſecurus dormias, lætus comedas, hilaris incedas, corpore & anima tutus. O quam multis poſſemus occinere verba
Deutero c. 28. 47. illa, quæ Dominus tanta emphaſi populo ſuo rebelli olim dixit: *Eo quod non ſeruieris Domino Deo tuo in gaudio, cordiſque lætitia, ſerujes inimico tuo &c. & ponet iugum ferreum ſuper ceruicem tuam, donec te conterat.* An tibi pacem non placet conciliare: faciendo Dei voluntatem, ignoſcendo ei qui te calumniatus eſt, viuere in pace, quiete lætari in domo tua cum vxore, filiis, & bonis tuis? Diabolo ſeruies, qui tibi vindictam ſuadet, & ceruici tuæ iugum imponet, iugum intolerabile prædonum quod tibi vitam, bona, quietem auferat, & curis, anguſtiis, ſtimulis, laboribus contritum diſcruciet, donec corpore & anima æternum te diſperdat.

**§. 4. *Facile eſt hoc præceptum, eſt enim ſcedula conſignationis Dei, ex amore, quo eum diligere obligaris.***

REuoluamus denuo hunc bolum, eumque commanducemus: & facile (ſic vobis affirmo) traiicietur, facile erit amare inimicos. O Pater, & hoc nobis affirmas? quem modum reperies, quo mihi ſit facile eum, qui me odit, diligere? ei benefacere, qui me perſequitur? Delectarer valde: ſi mihi hoc perſuaderes, licet foret permoleſtum & vltra vires meas, & vix obmurmurando, quieſcerem. Mouit mihi riſum conceptus quidam, tam feſtiuus, quam oratorius eius qui cum tantus eſſet, nomine aurei oris gloriatur. Diuus inquam Chryſoſtomus Concionem habuit hic Demoſthenes Chriſtianus ad populum Antiochenum: & multis rationibus ei conatus eſt perſuadere dilectionem inimicorum; ad hoc diſertiſſima & comptiſſima vſus eſt oratione vt videretur: *Quaſi quidam fluuius eloquentiæ*: prout Diuus Hieronimus Lactantium intitulauit, cumque iam totis viribus intenderet, & omnibus neruis orationis fluxum proſequeretur, ſubito ſubſiſtit, & ait: Quid mihi proderit, quod me ipſum excruciem, & velis remiſque contendam vobis perſuadere inimicorum dilectionem, cum ſermonem habeam ad eos, qui ne quidem amicos ſuos diligunt, vt decet. *Non aduertebam hæc dicens, cum iis, qui neque parem ſe diligentibus exhibent charitatem, ſermonem eſſe.* Et ſic ſe res habet, D. Chryſ. Hom. 68. ad populum. To. 5. Epiſt. 13. ad Paulin. circa finem.
quam paucos inuenies, qui diligentes ſe diligunt? quæ ingratitudines parantur benefactoribus? quæ beneficiorum obliuio? quæ amicitiæ vincula contempta? Quot malæ correſpondentiæ? Si aures præſtes; quas quæſo querelas & quidem iuſtas de amicis es auditurus, proditiones, diſſimulationes? de quibus eleganter Diuus Hieronymus perpendens illa Domini verba ex Michæa. *Nolite credere amico, & nolite confidere in duce, ab ea quæ dormit in ſinu tuo, claude clauſtra oris tui: quia filius contumeliam facit patri, & filia conſurgit aduerſus matrem ſuam & nurus aduerſus ſocrum ſuam, & inimici hominis domeſtici eius.* Li. 2. in c. 7. Mich. Mich. 7. 5.
An arctior detur amicitiæ ratio, quam ea, quæ eſt inter patrem & filium, inter matrem & filiam, inter fratrem & fratrem &c? Nequaquam, porro quam male ſibi conueniunt adducit hic Diuus Hieronimus Prouerbium illud. *Amicus diu quæritur, vix inuenitur, difficile ſeruatur.* D. Hier. lib. de Ami.
Multi mirantur quod ſcripſit Cicero, omnibus retro ſæculis vix duo aut tria paria amicorum inueniri, qui reciprocam interſe ſeruarent amicitiam, qui fuerunt Pylades & Oreſtes; Damon & Pythias: Nyſus & Eurialus; Et ſi modo amicitias conſideremus, ô vtinam vel vnam ex illis, integram & inuiolatam, & æqualem inueniamus. Si igitur tam

ſit difficile inter vos inueniri, qui ſyncere & & iuſte ſeruet amicitiæ leges, vt decet amicos qui benefacienti opituletur, ſuccurrat &c: quæ erit mihi ſpes (quærit Diuus Chryſoſtom,) vobis poſſe me perſuadere dilectionem inimicorum, vt benefaciatis his, qui oderunt vos, vt oretis pro perſequentibus & calumniantibus vo. Si amicorum dilectio ſuos inuoluit difficultates, vt talis ſit qualem requirit Deus; quantas inuoluet amor inimicorum? qua ratione igitur, o Pater, reddis nobis facilem? Reddam facilem ſi bolum hunc commanducemus. Attende ad verbum illud: *Ego autem dico vobis*. Quis ſit ille qui vobis hoc mandat

I. Facilis redditur dilectio inimicorum.

Hoc ſignificauit Deus, cum de lege Euangelica loqueretur, quam, factus homo, mundo promulgaret, vt notat Diuus Auguſt. & declarauimus, *Attendite ad me popule meus, & tribus mea me audite; quia lex a me exiet*. Et in rei veritate facile tibi erit, diuina comitante gratio legem hanc implere, & inimicum diligere, ſi attenderis, quis ille ſit, qui tibi hoc præcipit, & quaſi ex ore hoc decretum dimanet. Nihil magis vſitatum in Republica quam conſignationes. Regi debes decem millia ducatorum, ſicut poteſt debere & adhuc plura receptor generalis Regis dominiorum: conſignat Rex ex illis, quingentos cuidam, quem numquam vidiſti, & alios trecentos alteri, quem ne quidem noſti. Rogo te, an tibi ſit difficile iſtas ſummas ſoluere talibus hominibus? Reſpondes, difficile fore, ſi eos tantum conſiderares, cum illis præciſe non debeas, ne quidam teruncium: verum nulla eſt difficuitas in ſoluendo, ſi regem attendas, qui eis hanc ſummam conſignat, ex iis, quas ipſi debes: nec bene obiiceres; nihil ipſis debeo: licet enim hoc verum ſit, ſi ipſos in ſe conſideraueris, tamen ipſis debes has pecunias, ſi Regem attendas & eius conſignationem quam tibi mittit manu propria ſignatam, de qua ſic ipſe: Ego rex. Deus Dominus ac Rex noſter eſt, cui ob mille titulos totum tuum debes amorem, totum cor, voluntatem totam. *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omni mente tua, & ex omnibus viribus tuis.* Talem ei amorem debes, quem ſi habere poſſes infinitum, totum illi deberes: Hoc vero agit ille Dominus, aſſignationem conſcribit eius amoris, quem illi tenetis, vt partem eius ſoluas ei, qui te oderit, & partem aliam ei, qui te perſequitur, & partem aliam tuo inimico, huius rei hanc lego conſignationis ſcedulam:

15 *Lib. de vnita Eccleſia Iſa c. 51. 4. Tract. 5. p. 4. §. 4. & ſeqq.*

II. Similitudo.

*Deuter. 6. 5. Matt. c. 22. 36.*

*Ego autem dico vobis; diligite inimicos veſtros*. q. d. Ex tanto cumulo dilectionis, qua mihi obligaris, da partem inimico tuo. O Domine: nihil ei debeo. Tranſeat, ſi eum in ſe conſideres, ſed mihi multum obſtringeris, & ex eo mens mea eſt, vt illi des partem, idque non ob id, quod illi debes; ſed per meam conſignationem.

Ex hac doctrina declarat Diuus Auguſt. difficultatem, quæ ex iiſdem verbis Domini ſumpſit originem. Accedit legiſperitus, & tentans Chriſtum interrogat: *Quod eſt mandatum magnum in lege?* Reſpondet Chriſtus; *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex omni mente tua, & ex omnibus viribus tuis. Secundam autem ſimile eſt huic; Diliges proximum tuum ſicut teipſum.* His verbis auditis duæ naſcuntur difficultates. Prima: Domine, ille legeſpiritus non te interrogat, niſi de vno magno & primo legis mandato. *Quod eſt mandatum magnum in lege?* Cur illi de duobus reſpondes? Conuenire debet interrogationi reſponſio, & ſicut, qui te de duobus interrogaret, ſi ei de vno tantum reſponderes, nulla eſſet reſponſio, ita cum de vno tantum interrogaris, & de duobus reſpondes, ſuperuacanea videtur eſſe reſponſio Secunda: videris, Domini, tibi contra dicere, ſi dixeris, (ait Diuus Auguſt.) *Hoc eſt primum mandatum: Diliges Dominum Deum tuum: ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex omni mente tua, & ex omnibus viribus tuis.* Quomodo ſtatim annectis amorem proximi? Si totus cordis & animæ amor Deo debetur, quid mihi & proximo ſupererit? *Si lex dicit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, quid remanet de corde tuo, unde diligas teipſum & proximum? quid de anima tua? quid de menti tua;* Qui totum ſibi depoſcit, nihil tibi reliquit, vnde potes contriſtari ac ipſi dicere: *Totum ſibi exigit, ſi nihil mihi remanſit, vnde diligam me: quia ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente iubeor diligere, qui fecit me, quomodo ſecundo præcepto videor diligere proximum tanquam meipſum?*

*Ser. 2. de diuerſ. 4. 1. Luc. cap. 10. 22.*

*D. Aug. Ser. 2. de diverſ. 4. & c. To. 10.*

Fateor, ait Sanctus, Deum a te exigere amorem ex toto corde tuo, & ex tota anima, & pariter amorem erga teipſum & proximum, & inimicum: quia amor ille, quem & inimico proximo tuo petit, non vult, vt differat ab eo, quo Deum teneris diligere, quin potius deſiderat, & præcipit, vt ex eo amore, quo Deum diligis, ſumas quo proximum tuum & inimicum

cum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

eum diligas. Non enim petit, vt eum propter ipſum diligas, nec propter id, quod in ſe eſt, ſed propter hoc quod Deum teneris amare. Ex eo enim caſu quo Deum diligis, debes diligere eum, quem tibi præcipit diligendum; & id quod ipſe, vt ſuum quid habet. Et hoc ita ſe habet, eſſe unum hoc ex argumentis, quæ tibi proponenda ſunt, vt te examines an vere diligas Deum, diſcutere, an ames proximum: conſcripſit enim ipſe ſui amoris conſignationem & præceptum, ut ex eo, quod illi debes, des inimico tuo. *Hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum.* Ita amoris diſcipulus, cui & addit: *Si quis dixerit: quoniam diligo Deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt.* Deinde idcirco Chriſtus ſtatuens legem diuini amoris, illico adiungit amorem proximi: quia ex ratione hic ab illo dependet vt vbi ille ſit, neceſſe eſt & alterum inueniri, & vbi ille deeſt, perſpicuum eſt nec alium eſſe. 1. Ioan. 4. 21 — Tract. 1 c. 131. 132.

Quod ſi ego ex iis, quæ mihi debes, conſignationem ſcribo in vicinum tuum, eo ipſo quo proteſtaris nihil ei à te dandum deberi, proteſtaris te nihil mihi debere, quia hoc tibi præcepi, vt quod mihi debes, hoc totum vel eius partem vicino tuo dares. Hoc Sacra docet Theologia: te non obligari: ex naturali inclinatione eum, qui te oderit, diligere, vel quia ei in quodam obſtringeris, ſed ex amoris charitate. Hic eſt amor ille, qui magis directe Deum intuetur, & diligit propter ſe, & proximum non propter ſe, ſed propter Deum. *Charitas diligit Deum propter ſe, & proximum propter Deum.* Hic eſt ignis ille, quem hauſit ſummus ſacerdos Aaron iubente Moyſe, in remedium contra eos, qui mouebant ſeditiones: nec erat ei proprius ignis, ſed nec ex proprio deſumptus loco, ſed ex altari Dei; ita nos alibi. Tract. 1. n. 132. 132.

### §. 5. *Leue tibi erit inimicum diligere, non eum conſiderando, ſed eum qui tibi hoc præcipit: ne pereas vt ceruus, nec te furor occidat.*

16 Hoc deſideras, vt tibi facilis ſit amor inimicorum? Attende eum qui tibi hoc præcipit *Attendite ad me populus meus*: verba eius intellige, & quaſi conſignationis ſcedulam ea perpende, Hoc tibi indicauit Spiritus Sanctus, dum tibi ſanum ſuggerit conſilium quid tibi faciendum ſit. dum alius te aut offendit, aut calumniatur.

*Deprime cor tuum, & ſuſtine & inclina aurem tuam, & ſuſcipe verba intellectus, & ne feſtines in tempore obductionis.* Quotieſcumque te aliquis calumniatus eſt, *Deprime cor tuum*, contine te, diſpone mentem tuam, & Diuina verba ſuſcipe; quotieſcumque exſurgent nubes, quæ ſoli lucem impediant, & obducant (Hoc proprie vocatur *Tempus obductionis*) ne velox ſis, ne præcipites, velut equus ſtimulo percuſſus, aut a muſca vel tabano corroſus. Quam graphice depingit, id quod contingit, quando tibi quiſquam iniuriam irrogat, dum illud vocat *Tempus obductionis*: quo enim momento te quis offendit, ſanguis circa cor ebullit, & velut vapores, diuerſæ conſcendunt cogitationes in cerebrum, vindictæ, illum prouocandi, illum aggrediendi. O quam ſpiſſi vapores, qui rationis tuæ lumen obnubilant. *Conturbatus eſt in ira oculus meus*, ait Dauid: Hoc ſi tibi contigerit, *Deprime cor tuum, & ſuſtine*: ne te præcipites, ne curras, ſed oculos ad Deum erige, & diuina eius præcepta intellige, quibus te illuminat. *Suſcipe verba intellectus*: attende, quis ſit ille, qui tibi dicit: *Ego autem dico vobis: diligite*, &c. Eccl. c. 2. 2. — Pſal. 30. 10.

An non memoriam refricat eius, quod narratur de ceruo & coruo? Eſt coruus inter aues, aſtutiſſimus, ita vt videatur pollere intellectu & diſcurſu, de quo Plinius rara & ſtupenda narrat & particulariter de intelligentia coruorum. Ceruus omnium animalium curſu velociſſimus, currit, & neſcit quo, vnde & ſæpius ſe præcipitio collidit: apud Ægyptios vero ſymbolum eſt hominis temerarii. Accidit ut coruus præ fame voraciſſimus, appetat ceruinas carnes: Quid remedii? ſeſe arenæ inuoluit & reuoluit, alas ſuas arenis ſuffarcit, quibus illico capiti cerui inſidet, & roſtro fortiter ceruicem eius impetit. Ceruus caput retroflectit & oculos, vt quis, eum pungat, videat. Tum coruus, alas excutit quo puluis omnis ceu arena, cerui oculis inſiliat, qua & obnubilatur eius obtutus, & penitus excæcatur. Perſeuerat coruus, pungit, lancinat, ceruum vulnerat, unde agitatus ceruus ſaltus edit maximos, totis currit viribus, quo cum viget dolor. Sic furibundus dum currit ſed nec aduertens, quo tendat, ſubito in præcipitium ruit, pedes confringit, dilacerat artus, fit præda coruo,

I. Deus eſt, qui nobis hoc præcipit. L. 16. c. 43.

II. Similitudo.

O animal inſipiens, totum tuum damnum conſiſtit in reflectendo oculos ad eum, qui te pungebat, & ſaltus dediſti inconſideratos, obnubilatos habens oculos. Hoc vobis quotidie contingit. Adeſt quidam, & verbis iniurioſis ſeu actibus honori tuo detrahit: oculos tuos ad eum deflectis, quis eſt, qui me tetigit, pupugit, lancinauit? Homo eſt, tui ſimilis, qui puniri mereatur; per hæc cadit iræ puluis in tui intellectus oculos, qui eum obcæcat, ita ut nec attendas, nec videas, nec conſideres, ſed cæco impetu turbatus præceps curris, curris odio, curris calumniis, curris dicteriis, curris vindictæ cupiditate dolis curris, inquietus, quomodo te vlciſcaris: quibus anima tua in præceps ruit, & diſrumpitur, ita vt vitam perdas charitatis. Amice, ne oculos retrouertas ad eum qui te pungit acriter nec illum attendas, qui te offendit grauiter: obcæcabit te ira & cholera tua: ſed Deum intuere, qui tibi conſulit; *Deprime cor tuum, & ſuſtine, & ſuſcipe verba intellectus, & ne feſtines*, &c.

Lib. 10. Mar. c. 8. 1. Cor. 13. 5.

Huic doctrinæ conformiter elucidat Diuus Gregor. illa verba D. Pauli, *Charitas non irritatur, non cogitat malum.* Vbi vera viget charitas, iniuriis non irritatur, non obcæcatur homo, quia mentis oculos non deflectit in offenſam, nec in eum qui iniuriam infert, aut calumniatur. *Non cogitat malum.* Sed ſtatim oculos in Deum attollit, & eum monentem audit: *Ego autem dico vobis: diligite* &c. Hoc ſtupemus adimpletum in Sancto Stephano, vt perpendit Diuus Chryſoſt. En quam acriter eum pungant infernales illi corui, conuitiabantur, affligebant. *Stridebant dentibus in eum*, vt canes rabidi eum cingunt, & duriſſimi eum impetunt lapidibus. O quam imperturbatus, quam animo ſedatus adſtat inuictus ille miles, velut Angelus. *Videbant faciem Angeli*, Quid eum tam ſedatum, tam ſecurum, tam reddit pacatum? *Non conſiderabat lapides* (ait D. Chryſoſt.) nec oculos diuertit ad lapides, nec ad eos, qui illis eum grauabant, ſed ad Chriſtum, quem ſublatis oculis ſic deprecatur: *Domine Ieſu, ſuſcipe ſpiritum meum*, &c. *Et ne ſtatuas illis hoc peccatum.* Miror cur hora illa extrema vocet Chriſtum, Dominum: *Domine Ieſu*; Sed adeſt ratio: perpendebat Chriſtum eſſe Dominum abſolutum ſuæ voluntatis, cordis & amoris, & quod conſignationem ſcriberet partis illius amoris Iudæis lapidantibus: quaſi dicat; non ex obligatione erga illos, quibus præter iniurias, & vindictam nihil aliud debeo; ſed ob amorem tui, qui vt Dominus meus totius cordis mei, voluntatis & amoris, mihi præcepiſti dare eius partem inimicis meis, ſic facio. Hunc & tu imitare, dum te grauiter offendunt, non conſideres damnum inferentes, ſed præcipientem, *Attendite ad me popule meus*. Et eum qui tibi conſignationis mittit ſcedulam propria manu ſubſcriptam: *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros.* Et ſapienter monet Spiritus Sanctus vt in tempore obductionis ſuſcipias verba intellectus: oculos ad Diuina eius verba conuertens.

17

Hom. 12. ad pop.

Act. 7. 54.

III. Vnde Stephanus orauit pro inimicis Iudæis.

Act. 7. 58.

18 Inter omnes corporis infirmitates, grauiſſimam cenſeo rabiem, non tam, quod crudeliter cor hominis excruciet, quam quod valde difficulter curari poſſit. Eius remedium eſt aqua, & vt rabies ignis quidam eſt, qui cor adurit, quod illam poſſit extinguere, aqua eſt recens, frigida interius per potum appoſita, & exterius per balnea, ſæpe ſe illis lauando; his non obſtantibus, nihil magis exhorreſcit rabidus quam frigidam, ſolo eius aſpectu contremiſcit, turbatur, & denuo cholera accenditur. Crucem eſſe dixeris (ait Andreas Laguna) dæmoniaco terribilem, quæ cum ſit eius remedium, ea tamen viſa turbatur, ſpumat, ſtridet dentibus; ſed quæ huius rei cauſa? Reſpondet idem auctor, quod rabidi canis morſus imaginationem perturbent, ita vt à cane morſus, videns aquam, ſibi videatur intueri canem, qui eum prius momordit, ſtridentem dentibus, ex cuius aſpectu magis incandeſcit. Et ita narrat de Philoſopho rabido: qui hoc malum ex morſu canis rabidi aduertens, dum illi in remedium proponitur aquæ balneum, licet ſibi videretur quod in ea canem conſpiceret minitantem, dentes exacutos oſtentantem, parumper licet dubius hæreret, vicit tandem virtute philoſophiæ vanam imaginationem; dicens; *Quid cani cum balneo?* Quod demum in prouerbium abiit: *Quid cani cum balneo?* Quocirca ſe aquarum balneo immergens, ſanus euaſit. Hoc eſt remedium rabie furentis, quem canis momordit vt dum ei vas lympidiſſimæ aquæ offertur, oculus non deflectat in canem, qui in ea repræſentatur, ſed in propinantem, qui eius eſt intimus amicus, medicus ſapiens, eique applicat remedium vitæ & ſalutis præſentiſſimum.

In l. 6. Dioſcor. c. 36.

IV. Similitudo.

Ante canis inimicus momordit? num vngues ſuos miſit in honorem, bona inſuper &

vitam

vitam tuam? ſcito remedium tuum conſiſtere in Diuinæ legis aquâ: hoc enim nomine vocatur, *Aqua ſapientiæ ſalutaris*: ſi vas illud hauſeris, quod tibi propinatur: *Diligite inimicos veſtros: ſuſcipe verba intellectus.* (Eccl. 15. 3) O Domine, quàm me terret, turbat, irritat: Amice, attende, num ſcis cur hoc ita? Quia in aquâ imaginatis tibi canem, qui te momordit: inimicum tuum tantùm conſideras: *Inimicos veſtros.* Et eum, vt canem apprehendis, qui te momordit, & dentibus conuitiorum ſuorum tibi cor pertërebrauit. Ne oculos ad eum diuertas, nec aquæ iſtius ſuperficiem attendas, ſed eum ſpecta, qui tibi eam propinat, pater enim tuus eſt, amicus tuus, tuus Dominus, tuus Rex, tuus medicus cæleſtis, qui præterquam, quod tibi det id quod magis tibi expedit, obedire teneris, & ei ſoluere, in quem tui amoris & voluntatis tranſtulit conſignationem. Hoc operè expleuit Dauid, dum ſe circumſeptum inimicis lugeret, quos rabidis canibus aſſimilat: *Circumdederunt me canes multi*, irridebant eum, contemnebant eum exſibilabant eum. *Factus ſum illis in parabolam*, (Pſ. 21. 17.) *aduerſum me loquebantur, qui ſedebant in porta, & in me pſallebant, &c.* Quid rerum agis ô Dauid? ad quem oculos tuos conuertis? Ad canes rabidos? (Pſ. 68. 12.) Minimè, ſed ad te ô Domine qui cordis mei & amoris es Dominus. *Ego vero orationem meam ad te, Domine, &c. Oratio eſt eleuatio mentis in Deum.* Oculos meos ad te dirigo, hoc vnicum ago, conſidero, quod licet inimici mei propter proprias rationes & demerita mereantur, vt de eis ſumam vindictam, nihilominus ob tuas rationes, obſtringor illis dare quod illis conſignaſti, amorem ſcilicet, & animum illis benefaciendi.

19 Hoc erat Dauidis quotidianum exercitium, qui cum tamos, & tam crudeles ſuſtineret inimicos, abſit, vt contra illos vltor inſurgeret, quin potius illis omne bonum optabat, & adhuc maius animæ ſuæ bonum acquirebat. Propone illum tibi, ait Diuus Auguſt. (D. Aug. In Pſ. 54. Tom. 8.) in ea occaſione, quam repræſentat pſalmo 54. oppreſſum, cinctum, contemptum, perſecutionem patientem, profugum, & à ſuis deſpectum inimicis. Titulum huic pſalmo præno at: *In finem, in carminibus intellectus Dauid.* Hic eſt titulus, quem, vt notat Diuus Hieronym. (D. Hie. Epiſt. 140. ad Princ.) aliis quoque pſalmis præfixit, quando intellectum noſtrum ad altiora vult excitare, quàm verborum litera ſeu ſuperficies indicat, vt patet in pſal. (Pſ. 43. 44. 51. 53. & 54.) in quibus intentio eſt prophetæ Regii, vt eo modo conſideremus ea, quæ de ſe ipſo dicit, vt junctim intellectus noſter inde ſumat inſtructionem ejus, quod nobis agendum eſt, quando ſimilibus premimur anguſtiis. Primum igitur recurrit ad Deum, ſicut qui ab inimicis ſuis preſſus recurrit ad Eccleſiam totus tremore concuſſus, & coram Diuinæ ſuæ miſericordiæ tribunali proſtratus, ait: *Exaudi Deus orationem meam, & ne deſpexeris deprecationem meam,* (Pſ. 54. 1.) *intende mihi & exaudi me.* Ad te ô Deus meus, & ſub alas tuæ protectionis confugio, *Exaudi orationem meam, & ne deſpexeris deprecationem meam:* auxiliare mihi, Domine, & auribus ſuſcipe deprecationem meam. Audit illum ſic deprecantem Diuus Auguſt. & ait Indubiè, qui ſic orat, magnis preſſus anguſtiis, & difficili (D. Aug. Tom. 8.) anxietate circumdatus ſit, neceſſè eſt, *Satagentis, ſollicitis, in tribulatione poſiti; verba ſunt hæc.* Audiamus illum, ipſe nobis ſuam declarabit tribulationem, cordiſque mæſtitiam. *Contriſtatus ſum in exercitatione mea, & conturbatus ſum à voce inimici, & à tribulatione peccatoris.* Heu Domine! quàm mortali triſtitia mea me capit & obruit exercitatio. Perpende (ait Diuus Auguſt.) quod det nomen tribulationi, quam patitur: Exercitationem ſuam vocat; & audi quam ſanam det intellectui veſtro, hoc ſolo verbo, lectionem. Durios & immites ſuſtinebat inimicos. Socereius Saul, poſt partam de Goliath victoriam, & aſſertum Regnum, in eum arma mouit, eum perſequens noctu, diuque. Ziphæi, & Ceilitæ, qui ratione parentelæ & gratitudinis ob beneficia ab eo recepta fidem ſeruare debuerant, in hoſtes & traditores abierunt. Abſalon eius filius, arma in patrem ſumit, eum in fugam compellit vt palatio, & ciuitate regia cogatur excedere. Semei eius ſubditus, atrociſſimas ei objicit calumnias. Quid credis eſſe hæc? Exercitationem. An non objicis? Propitius ſit, mihi Deus, ſi Dauid amicus erat Dei, & vir juxta cor Domini, quam ob cauſam permiſit Deus, vt eum tot peruerſi, & maligni perſequantur? Cur eos non conſumpſit? Et hoc ipſum tibi quotidie in mentem venit, vnde & admiraris Ad quid Deus malos in hoc mundo conſeruet, qui nihil aliud intendunt, (V. Cur impii viuant & floreant.) quàm vt juſtos perſequantur, & nihilominus cum hæc ita ſint, illos alit Deus & ſuffert, quin imo & ipſos ad honores prouectos, diuitiis ad luxuriam affluentes, proſperitate gaudentes ſtupemus & ingemiſcimus, quorum agendi modus communis eſt, opprimere pauperes, grauare

vare piiſſimos; Ad quid Deus Herodem Patrem, tanti innocentis ſanguinis effuſorem paſſus eſt, ad quid eius filium, Herodem alterum, laſciuum, reum cædis eius, quo maior inter natos mulierum non ſurrexit: Neronem crudelitatis exemplum, Diocletianum Chriſtiani nominis, Sanctorumque perſecutorem omnium maximum?

Lib. 15. Mora. c. 18. Hanc à multis ſæculis difficultatem obiecit ſibi Iob, vt proſequitur Diuus Gregor. *Quare impij viuunt, ſubleuati ſunt, confortatique diuitiis. Domus eorum ſecura, & pacata, & non eſt virga Dei ſuper illos, &c.* Iob. 21. 7. Hoc ipſum adeo ſuſpenſum tenuit Hieremiam, vt præſumpſerit de hac ſe mouere cum Deo quæſtionem. Hier. 12. 1. *Iuſtus quidem tu es Domine, ſi diſputem tecum, verumtamen iuſta loquar ad te. Quare via impiorum proſperatur, &c. Plantaſti eos & radicem miſerunt, &c.* Abac. 1. 13. Eodem modo conqueritur propheta Abacuc. *Mundi ſunt oculi tui Domine, ne videas malum, & reſpicere ad iniquitatem non poteris. Quare reſpicis ſuper iniqua agentes, & taces deuorante impio iuſtiorem ſe?* An eius rei rationem inquiris? ait Diuus Auguſt. hanc tibi Dauid vno verbo exponit. *In exercitatione mea.* Ecce, cur Deus tot permittat malos viuere; ad exercitationem videlicet bonorum.

VI. Vt per illos iuſti exerceantur.

Virtutes exerceri non poſſunt niſi habeant quo exerceantur: probari non poteſt auri puritas, ſi fornax abſit, incus & mallei: ſi perſecutio deferueat, exerceri non poteſt patientia: tolle tyrannos, fidei fortitudo non clareſcet; ſi inimicum non habeas, cui benefacias, præclarioribus operibus exerceri charitas non poteſt, & præcipuè in eos, à quibus mala receperis. Hoc ſuppoſito hanc ad tui ſolatium ſume regulam: ait Diuus Auguſt. D. Aug Tom. 8. *Omnis malus, aut ideo viuit, vt corrigatur, aut vt per eum bonus exerceatur.* Huius doctrinæ ignarus non erat Dauid, quòd Deus ad virtutum ſuarum exercitium permitteret tantos, quantos pertulit, inimicos. Verumtamen adeò ſe doluit ab inimicis prægrauatum, vt in triſtitiam incideret maximam, cordiſque turbationem non minimam. *Conturbatus ſum à voce inimici, & à tribulatione peccatoris: quoniam declinauerunt in me iniquitates, & in ira moleſti erant mihi.* Quis exactius vnquam deſcripſerit id, quod in eum moliebantur inimici. Contra eum voces extollunt: dico, liberè, & effrænes in eum debacchabantur, mille eum impudenter dicteriis impetentes, irridebant eum opprobriis & calumniis, effrontes, audaces, modeſtiæ neſcii & pudoris. Hoc totum ſignificat illud: *à voce inimici*, Nihil ſiniſtri vnquam regno accidit, cuius in eum culpam non rejicerent, reum omnium proſcinderent: quaſi ille eſſet, qui omnia diſperderet. Hoc eſt: *Declinauerunt in me iniquitates.* Nec illis ſola verba ſufficiebant, ſed inſuper turpibus & indignis in me factis ab eis non eſt temperatum, in bonorum, honoris, quietis & vitæ meæ præiudicium. Hoc intellige: *In ira moleſti erant mihi.* Tot me moleſtiis exercebant, quot poterant, nec aliquid nouerant, quod mihi poſſet nocere, quod ſtatim non molirentur: Hæc erat eorum rabies zoylæo flagello me diſcruciare, aculeatis verbis inſequi, nuliſque parcere contumeliis, His me, Domine, conturbatum, ſollicitum, triſtemque ac melancholicum lugeo. *Cor meum conturbatum eſt in me.* Num hunc bene conſideraſti? Erige igitur, ait D Auguſt. mentem tuam, & in eo quod dicit, cauſſam turbationis, & mæroris inuenies? Et quænam hæc? Non attendis, quod ait, ſe ſuos oculos deflexiſſe ad ea, quæ contra eum agitabant inimici, & aures arrexiſſe ad eorumdem contumelias: *Conturbatus ſum à voce inimici.* Non aliter fieri potuit, quin contuens hoſtium ſuorum facinora, & calumnias audiens liuidorum, triſtaretur, contabeſceret, & tribulationis abyſſo conficeretur.

VII. Allegoria.

Hoc obvenit Dauidi, ait Diuus Auguſt. & vobis quoque contingit, id quod poſtmodum Diuo Petro. Erant diſcipuli in mari non modicâ tempeſtate agitati; & de vitæ periculo ſummopere conterriti. Accurrit Dominus eos periculo erepturus, inflatos maris fluctus pedibus perambulans, ſecurus ac ſi in pauimento ſtrato lapidibus incederet, & ait illis: *Nolite timere, ego ſum.* cui Petrus, *Domine ſi tu es, iube me venire ad te ſuper aquas: at ipſe ait: veni.* Matth. 14. Proſilit illico Petrus in aquas, & ſuper eas gradiente illo, ecce ventus vehemens oritur, tempeſtas ingruit, turgidi fluctus maris minantur interitum, oculos ad illum conuertit, turbatur, expaueſcit, cœpit mergi, Chriſtum inclamat. *Domine ſaluum me fac.* O vir omnium imprudentiſſime, ait Chriſtus, maris vndas aſpicis, huc accede, extende manum. & ita periculo Petrum eripuit. O ſtupendum myſterium (ait Diuus Auguſt.) Mundus mare eſt tempeſtatibus horridum, periculis plenum, vbi vi ventorum paſſionum, inflantur vndæ decumanæ perſecutorum, inuidorum, & calumniatorum.

Quis

Quis has ſecurus, & imperterritus vndas calcauit unquam, vt Chriſtus? quis his non ſubmergitur? quot in eum hoſtes vndas non deuoluerunt iniuriarum, conuitiorum; verberum, ſpinarum, clauorum, crucis &c? quis eum fluctus non inuaſit? *Omnes*

Pſ. 87. 8.

*fluctus tuos induxiſti ſuper me.* ait ipſe. Porro, quam imperturbatus, quam conſtans in charitate, non ſubmergitur, non turbatur? *Qui cum*

1. Pet. 2. 23.

*malediceretur, non maledicebat.* Contemplare eum quo maiori pœnarum abyſſo inuoluitur, eo minus ſubmergitur: cum affixus cruci, primum quod eloquitur verbum, dilectionem reſonet inimicorum, qui actu ipſo eum occidebant: *Pater, dimitte illis: non enim ſciunt quid faciunt.* Ne

Luc. 23. 34.

credideris, ait Diuus Auguſt. quod ipſe ſolus imperturbatus vndas maris ſuperbas calcet, inſuper & tibi præcipit, vt eas perambules, & pedibus proſternas, ne te ſubmergant inflatæ vndæ, calumniarum, conuitiorum, iniuriarum, quas tibi irrogant canino dente inimici. Sicut dixit Diuo Petro: *Veni*: ita vobis dicit, *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros.* In quo putas damnum tuum conſiſtere? quid cogitas illud eſſe quod te abſorbet triſtitia, turbatione, & alteratione; & te his aquis ſubmergit? illud ipſum quod oculos ad feros maris fluctus deflectas, quos contra te impellit furibundus Aquilo furoris inimici: Horres, quaſi fluctus hic, te in profundiſſimum maris ſinum ſit abſorpturus. O Domine! hoc conuiciatoris verbo quam demergor? huius tenebrionis macula decoloratus, quam profunde ſub aquis abſorbeor? O te pauperem, ſi vndas intuearis, ſi ventos infenſi mordaciſque affectus tui hoſtis attenderis quos in te concitat, corrues, ſubmergeris, peribis. Ne ventos attendas, ſed ad eum te conuertas, qui ſuper aquas ambulat, & te videt, & manum protendit, vt tuam coronet patientiam.

D. Au. Tom. 8.

Diuina plane ſunt verba Diui Auguſt. loquentis, de Dauide. *Velut in tempeſtate poſitus mergi cœperat, ſicut Petrus. Ille enim calcat fluctus huius ſeculi, qui diligit inimicos. Chriſtus in mari ambulabat intrepidus, cuius omnino de corde auferri non poterat inimici dilectio, qui pendens in cruce dicebat: Pater, ignoſce illis: quia neſciunt. Et Petrus voluit ambulare. Ille tanquam caput, Petrus tanquam corpus. quia ſuper hanc petram, ædificabo Eccleſiam meam. Iuſſus eſt ambulare, & ambulabat, gratia iubentis, non viribus ſuis. Sed cum videret ventum validum, timuit, & mergi iam cœperat in exercitatione ſua. A quo vento valido? A voce inimici, & à tribulatione peccatoris. Ergo quomodo ille clamauit in fluctibus; Domine pereo, ſalua me: talis & huius vox præceſſit. Exaudi, Domine, orationem meam, & ne deſpexeris deprecationem* &c. Hinc ſurge, ait Diuus Auguſt. & diſce quid tibi ſit agendum, quando probris omnigenis laceſſeris; & variis criminationibus à quopiam vexaris: ne eum intuearis, nec probra & criminationes attendas, ſed Deum ſpecta, eius auxilium inuoca, eius fidei, patientiam, quam habueris, committe, proteſtatus te ſui ſolius amoris intuitu, cor tuum deprimere, ſuſtinere, refrænare vindictæ libidinem, & in huius obſequii mercedem ſperare præmia ſempiterna. *Cum aliquid tale patitur Chriſtianus, non debet velut odio ire in eum, a quo patitur, & velle ventum vincere, ſed conuertere ſe ad orationem, ne dimittat dilectionem. Gaudete, inquit, & exultate, quia merces veſtra magna eſt in cælo.* Quid ergo Domine, an ſentire non debeam iniurias mihi ab aliis illatas, & calumnias perperam irrogatas? Accenditur ira, tranſeat, porro non creſcat in odium. *Nam vt noueritis quantum interſit inter iram & odium, quotidie homines iraſcuntur filiis ſuis, date, quod oderint filios ſuos.*

VIII. Deus in tribulationibus inuocandus.

D. Au. Tom. 8.

Hunc Pſalmum compoſuit David, quando nefarius ille nebulo Seme. calumnias illi intendit, ſparſitque in vulgus, qui non ſe ad illum conuertit, vt Abiſai, ſed ad Deum. *Dominus præcepit ei* &c. Hæc eſt illa exercitatio. Notat D. Au. ibidem verba illa. *Cor meum conturbatum eſt in me, & formido mortis cecidit ſuper me.* Quam mortem horret? Animæ, hoc eſt ne perdat charitatem: *Quia qui non diligit, manet in morte, & amiſſa dilectio, mors tua* Quando quis in te commouetur, duos conſidera inimicos, vnum corporalem, qui corpus impetit; ſpiritualem alterum, qui animam tuam inſectatur. *Duos ergo inimicos tibi conſtitue ante oculos, vnum apertum, & alterum occultum; apertum, hominem, occultum diabolum.* Vnum contra vitam corporis, alterum contra eam, quæ eſt animæ. Hunc magis debes timere, quia tibi dictum eſt: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus.* Hunc timet Dauid, qui animam inſectatur. Et ob hoc quid facit? accurrit; & oculos ſuos ad Deum erigit.

2. Reg. 16. 18.

Pſ. 54. 5.

Matth. 10. 28.

Statue tibi ob oculos Chriſtum, vere a turbine & tempeſtate eripiat, quam tua ſuſcitat paſſio ex opprobrio commota vel calumnia perturbata, qua ab inimico laceſſeris. D. Aug. ad hæc verba. *Expectabam eum, qui ſaluum me fecit à puſillanimitate ſpiritus & tempeſtate.* Apoſtolorum

D. Au. Tom. 8.

Pſ. 54. 9.

ab

appendit charitatem ; qui tempeſtate jactati, timebant. Dormiebat Chriſtus, excitarunt illum & bonis auibus ; cum mare à feruore ſuo ſteterit, & facta ſit tranquillitas magna *Mare eſt tempeſtas eſt, nihil tibi reſtat, niſi exclamare. Domine pereo. forte nauis tua ideo tu batur quia ille in te dormit. Acceſſerunt & excitauerunt illum, & imperauit ventis, & facta eſt tranquillitas magna, Merito ergo turbatur cor tuum: quia excidit tibi, in quem credideras. Iuſto lethabiliter pateris: quia non venit tibi in mentem, quid pro te pertulerit Chriſtus, ſi in mentem non venit, tibi Chriſtus dormit. Excita Chriſtum, recole fidem; tunc enim in te dormit Chriſtus ſi oblitus fueris paſſionis Chriſti. Cum autem pleno corde intuitus fueris, quid ille fuerit paſſus: nonne æquo animo, & tu tolerabis? Ii fortaſſe gaudes: quia inuentus es in aliqua ſimilitudine paſſionum regis tui? Cum iſta cogitas, ille ſurrexit, imperauit ventis, & facta eſt tranquillitas magna.*

21 Stupendam ſane narrat Spiritus S. hiſtoriam de Laban. Idololatra erat, nec Deum noſtrum, vt ſuum. ſed idola colebat; ſe quodam die grauiter offenſum à Iacob genero ſuo infremuit quòd filias ſuas, nepotes ſuos, idola ſua abduxiſſet & abiiſſet hoſpite inſalutato. Inſecutus eſt eum copioſo numero armatorum, ſpirans minarum & cædis in Iacob; diceres, fœnum habet in cornu. Apparet illi Deus & ait. Hæc tibi iniungo, ô Laban: *Caue ne loquaris contra Iacob quidquam durius*, nec eum auide ſugilles mordax plectero. Aſſequitur generum ſuum tota ſociali multitudine: & datis jam & acceptis rationibus, (a) ait: Dextero Deo, ô Iacob: iuro enim tibi, eo huc veneram animo, vt te tuoſque internecione delerem, ſed reueritus ſum Deum patrum tuorum, qui mihi hoc ne facerem, inhibuit: illi gratus eſto, qui mihi præcepit, ne tibi vllum inferrem damnum. *Valet manus mea reddere tibi malum, ſed Deus patris veſtri heri dixit mihi. Caue ne loquaris, &c.* Res notatu digniſſima: Deum Laban, vt Deum non adorabat, nec vt Dominum ſuum colebat, quem tamen adeo reuerebatur, vt ex eo ſolo, quòd eum videret, ſibi inhibentem, ne contra Iacob ſtimulos moueret, ſe iramque ſuam depreſſerit: quid non ageret, ſi eum vt ſuum Deum, & verum veneraretur? Et quid tibi agendum, qui vt Deum verum & vnicum credis Chriſtum, dum in hoſtem tuum ſtomacharis, quando tibi ipſe obuius venit, & ait: Contine te o Chriſtiane, *deprime cor tuum: Ego autem dico vobis: diligite inimicos veſtros*; an hoc non ſufficiet? quando nulli tolerandis injuriis prouocaris: illi dic, Deo gratias age, qui mihi præcipit vt me detineam Peregrinum quid judico: quod minus Deum quam homines reuereamur. Millies turbatum te continebit, vel vnicum videre hominem. Impetit te lapidibus calator pediſſequus quiſpiam, & tibiæ ſpinulam grauiter adeo offendit, vt viſcera tua acriter diſcrucientur. & ais: gratias age, quod talis ſis viri filius. Lædit te famulus amici tui, ais: gratias agito Domino tuo. Quod ſi modo Rex tibi injungat, vt eius manibus fidas prætenſionem illam, quâ contra proximum tuum agis, plus æquo tibi ſatisfactum credis: eo ſolo: quod dicere poſſis. Rex præcepit mihi, vt pacatus viuam. Quid Maurus agit rebus illis adeo laborioſis, & ſibi in omnibus ita complacet, eo titulo quòd ſibi illa Mahomet in ſuo Alcorano præcipia[illegible]fficile eſt animo, ſed mandat mihi Mahe[illegible]t in tali occaſione, hoc aut illud agere[illegible] nos vero, quam parvi æſtimamus Deum & quam parum nobis refert, eum eſſe qui nobis iniungit: *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros.* Hoc ipſum juſtè commotus Deus oſtendit, quàm grauiter accipiat, ex hiſtoria Rechabitarum, quam refert Hieremias & nos declara- *Hier. 35.*
vimus, pariter & querelas ipſius Hieremiæ: ob *Tract.*
majorem obedientiam præſtitam ſcriptis Duelli *79. & ſeq.*
quam Dei legibus: & Iſaiæ: eum Deo facilius *Tract. 41.*
ſit vnico verbo maris vndas compeſcere, quàm *101. & ſeq.*
cor hominis etiam multis ſedare: quæ omnia ad *Tract. 43.*
ſupradicta referuntur. *82. & ſeq.*

*Gen. 31. 29.*

IX. Laban idololatra, Deo obedit præcipienti.

(a) *Deſpues de datas ij preſas.*

## §. 6. *Chriſti nomini obediunt omnia, excipio cor hominis, ipſo flumine Pado magis refractarium.*

His quæ diximus in tractatibus noſtris, addi 70
poteſt mirabilis quædam conſideratio, quæ manus & pedes conſtringat, ſeu os obſtruat, ſumpta ex auctoritate nominis Chriſti Domini noſtri, quia ipſe eſt, qui tibi loquitur: *Ego autem dico vobis.* Cuius tanta eſt virtus, fortitudo, & auctoritas, vt ad ſolum eius nomen omnes ſe vltro dedant creaturæ, & ſine vlla replica obediant, & eæ magis ad nutum, quæ ex ſua natura ſunt & fortiores & obſtinatiores, Paralyſis formata, quæ (docente Hyppocrate) nulli cedit creatæ virtuti, ſolo hoc nomine audito & cedit & manus dat, & ſe ſuperatam fatetur: ad vnum D. Petri verbum dictum paralytico ſic nato in Hieruſalem: *In nomine Ieſu Chriſti Nazareni,* *Act. 3.*
*ſurge & ambula.* Ceruo velocior exſilit de ſtrato

in conſpectu omnium. *Et exiliens ſtetit, & ambulabat.* Idem accidit alteri paralytico Lyſtris in Lycaonia, quem iiſdem verbis ſanauit D. Paul. Febris ardentiſſima, cæcitas, de qua ex philoſophorum axiomate, non datur regreſſus, mors ipſa quæ non ſolum ſuperiorem in terra non nouit poteſtatem, ſed & ipſa pollet manifeſta auctoritate ſuper omnia, quæ in mundo viuunt, vnde trophæum erigens dicit *Nemini cedo* omnia hæc ad ſolius nominis Chriſti præſentiã cedunt arenã: febres deferuent, cæcitas illuminatur, mors fugit; Et hoc adeo familiariter, vt patet in S. ſcriptura, & vitis Sanctorum.

*Lib. 1. Dialo. c. 3.*
I.
Serpens nomini Domini obedit.

Refert D. Gregor. ſui temporis prodigia ſtupenda, quæ cum ipſe certò certius affirmauerit non ſunt in dubium reuocanda. Colebant Monachi hortum, quem communiter latro quidam deprædabatur, meliores fruges, herbas & olera deferens. Admiratur hortulanus, quâ viâ latro hic poſſet ſubintrare: erat enim circumſeptus muro; & ecce reperit aperturam in quodam angulo: & dum hoc rimatur, immanem offendit ſerpentem: ad quem conuerſus, eidem præcipit: ſequere me: & ad aperturam conſiſtens, ait illi: ſerpens, in nomine Chriſti Ieſu tibi iniungo, vt hic ſiſtas, nec te aliò moueas, & hunc ingreſſum contra latronem defendas, qui hac intrat, noſtrum deprædaturus hortum. *In nomine Ieſu præcipio tibi, vt aditum iſtum cuſtodias, vt furem hic ingredi non permittas.* Ad nutum illico ſeſe ſerpens extendit loco illi tranſuerſum, & vt vigil permanſit. Paulo poſt regreditur latro, & dum ſubintrat, ecce proſilit in aera ſerpens, qui eum adeo terreſecit, vt muro decideret, ſed calceo cuidam ſtipiti adhæreſcente pendulus manet: hic hæſit ſerpens immotus, donec veniens hortulanus latronem diſſoluit, cui ait: ſi ea quæ nobis furto aufers, à nobis expoſceres, gratuitò & lubenter ea tibi traderemus &c. Ad ſolũ Chriſti nomen ab hortulano prolatum, ipſi ſerpentes obediunt.

*Lib. 2. Dialo. cap. 10.*
Similiter & rupes.

Conſtruxit Monachus Dei ſeruus Honoratus monaſterium vicinum fundo ciuitatis D. Greg. auctore, vbi conuiuebant ducenti Monachi. Dum die quadam è feneſtra proſpiceret, aduertit rupẽ grauiſſimam de monte diffindi, quæ Conuentui irruere minabatur, idque tanto impetu, vt & omnes Religioſos, totumque Conuentum conterer velle videretur. *Totius ruinam cellæ, & omnium fratrum interitum minabatur.* Sed quo tempore maiori impetu ruere videbatur, verſus illã protenſa dextera, Sanctæ crucis ſignum oppoſuit, præcepitque in nomine Ieſu Chriſti, vt ſubſiſteret; illico ſtetit, & in ipſo deuexi montis latere immota permanſit: ita vt maius eſſet miraculum, illic rupem hærere, vbi ei locus non erat cui inhærere potuiſſet, quàm quòd ſubſtitiſſet. Acceſſerunt quidam ſtupore attoniti quærentes qui fieri potuerit rupem hærere jam ad caſum inclinatam tanto grauem pondere? An non uides, quòd eius ei nomen opponitur, qui vnico digito appendit molem terræ, & cælos palmo concludit.

D. Gre. *Lib. 1. Dialo. c. 6.*

Sanctus Marcellinus Epiſcopus Anconitanus podagra adeo pedibus laborabat, vt ſe loco, quo ſedebat, dimouere non poſſet. Et ecce incuria quadam ſæuus ignis ciuitatem inuadit, qui vento acriori huc illucque dilatus, nemini ſpem ſaluandæ ciuitatis reliquit. *Ita creſcebat flamma, vt jam totius vrbis interitum minari videretur.* Rem & periculum intelligit Epiſcopus, omnes vidit adeò perterritos, vt quod remedium extinguendo incendio adhiberent, omnino neſcirent. Præcipit ſuis eò ſe deferri, vbi tota vis flammæ videbatur irruere; quare eum in eo loco ſtatuunt; *vbi tota vis flammæ videbatur incumbere.* Hic flammis voracibus in nomine Ieſu Chriſti præcipit, vt contrahantur, frigeſcant, extinguantur. Mirabile dictu. *Cœpit miro modo incendium in ſemetipſum retorqueri, acſi reflexionis ſuæ impetu exclamaret, ſe Epiſcopum tranſire non poſſe, ſicque factum eſt, vt flamma incendij, illo termino refrænata in ſemetipſa refrigeſceret.* Quis talia potuit? Quis tam effrænem potuit beſtiam refrænare? An ergo non ad hoc ſufficiebat, eius nomen & auctoritas Domini, qui ipſum refrænat mare & præcipit: *Huc vſque venies, & non procedes amplius?* Auſerus fluvius, qui juxta vrbis Lucæ muros influebat, ſæpè inundatione facta curſus ſui alueum egreſſus, per agros diffundi conſueuerat, & quæcumque ſata & plantata repererat, euertebat, magno oppidanorum incommodo. Et quamuis diutius laboratum fuiſſet, à proprio tamen alueo deflecti non potuit. Audiuit hæc vir Sanctus Frigidianus, qui raſtrum ſibi paruulum fecit, ad alueum fluminis acceſſit, & ſolus orationi incumbuit, tum eidem flumini Serchio, quem Diuus Gregorius vocat Auſerum, in nomine Ieſu Chriſti præcipit vt ſequeretur, per loca quæcumque ei deſignaret, raſtrumque per terram traxit, quem relicto alueo proprio tota fluminis aqua ſecuta eſt, ita vt funditus locum conſueti curſus deſereret, & ibi ſibi alueum, vbi tracto per terram raſtro, vir Domini ſignum fecerat, vendicaret; & quæcumque

III.
Pariter ignis.

*Iob. c. 38. 11.*

IV.
Nec non fluuius.
*Lib. 3. Dialo. c. 9*

eſſent alimentis hominum pro futura, vltra non læderet.

23 Vt vno verbo omnia comprehendam, quæ datur poteſtas maior eâ, quam habet diabolus. *Iob. 41. 24.* Audi Iob: *Non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei:* ita teſtatur Deus: quæ obſtinatio maior, quam ea, quâ in malo ipſe confirmatus *Iob. 4. 15.* obdureſcit? de quo ita Deus. *Cor eius indurabitur, &c. ſicut malleatoris incus,* his non obſtan-

V. Diabolus quoque.

tibus, ſufficit ſolum Dei nomen, vt ſuperetur, fugetur, comminetur, nec is vnicus dæmon, ſed omnes, vt eo comprimantur, contineantur, & ea omnia cogantur facere, quæ libuerit. De hoc teſtes cito Septuaginta duos Chriſti diſcipulos, quibus ab eo prædicatum miſſis, ſolo iſto nomine munitis, quidquid erat, manus dabat & cedebat: cedebant paralyſes, fugiebant lepræ, ſurditates aures præbebant, cæcitates viſum dabant, infirmitates omnes & mortes ſolvebantur, quin & ipſa dæmonia ſubjiciebantur. Ita horum catalogum reuerſi Chriſto referunt. *Domine, etiam dæmonia ſubjiciuntur nobis,* *Luc. c. 10. 17.* *in nomine tuo.* Signate verba, notate myſteria, *etiam dæmonia*: quaſi quis dixerit. Non tantum morbi, paralyſes, febres, & mortes, inſuper & ipſi dæmones, audito tuo nomine, *ſubjiciuntur nobis.* Nec in præte ito loquuntur, nobis ſubiecta fuerunt, vel nobis obedierunt, ſed in præſenti: illos nobis ſubditos habemus, & ſemper, ſola tui nominis auctoritate, quod nobis commendaſti: *ſubjiciuntur nobis.*

Hinc rationem intelliges, cur Chriſtus dum viveret, & primum mitteret Apoſtolos, deinde ſeptuaginta duos diſcipulos, ad tanti momenti negotium, prædicationem nempe Euangelii, eis præceperit, ne ſecum deferrent in via pecuniam, nec peram, nec virgam, ſeu baculum, & vt dicit Diuus Ambroſ. *nullius rei adminiculum.* Quibus igitur ô Domine ſibi erunt ſubſidio? *D. Ambr. Tom. 3.* quibus operabuntur? quibus ſeſe defendent? Satis muniti progrediuntur, virtute & auctoritate nominis mei: *Ecce ego mitto vos.* Hoc plus *Luc. c. 10. 3.* ſatis eſt, vt ad præſentiam veſtram nulla non lancea inclinetur, nec ſit, quod ſe vobis non ſubjiciat; & hoc ipſe jam experti ſibi applaudunt. Deinde mortuo Chriſto, & à mortuis reſuſcitato; dum iter cælum verſus parat, & Apoſtolis præcipit, vt per quatuor mundi cardines Euangelium prædicent: certè negotium arduum, in quo illis ſtandum erat, pugnandum erat, declamandum erat contra totius mundi fortiſſimas vires, contra dæmonis aſtutias, contra nequitias infernales, illos & munit & armat ſola iſta auctoritate perſonæ ſuique nominis admirandâ. *Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ &c.* *Marc. c. 16. 15.* *in nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent, &c.* Hac nixi auctoritate profecti ſunt, & Imperia, Regna, Tyrannos, *Marc. c. 16.* ſapientes, Doctores, Diuites, denique armatiſſimos inferni exercitus ſibi ſubiecerunt: *Illi autem profecti, prædicauerunt vbique, Domino cooperante & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.* Obſtupeſco magnas nominis & perſonæ Chriſti vires & autoritatem, cum nihil ſit quod illi non ſubjiciatur: & rationi conſentaneum judicamus vt eam referat autoritatem, quam ſibi ſuâ paſſione promeruit: *Vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium & infernorum, &c.* *Philipp. c. 2. 10.* Omnia ergo hæc opponit cordi tuo turbato, vt coleram tuam [illegible] iram tuam temperes, bilem tuam [illegible], quâ contra inimicos tuos, qui te grauiter offenderunt incandeſcis: *Ego autem dico vobis: diligite inimicos veſtros.*

Ergonè fieri poteſt, ô Chriſtiane, vt ad 24 Chriſti nomen immobilis petra conſiſtat, quæ ſumma vi de montis vertice diſciſſa deorſum voluebatur, ad totius monaſterii ruinam, & multorum internecionem. Et quòd, dum in nomine Ieſu Chriſti ſupplex rogaris, dum eius tibi perſona occurrit, dum ipſe tibi loquitur: *Ego autem dico vobis*: cor tuum nequaquam deprimatur, ipsâ petrâ durius, ex furore nimio, quo jam præceps ruit, ad vindictam & ſtragem multorum exectandam? Num credidero, quòd

VI. Homo vero peruicax non obedit.

audito ſolo Chriſti nomine refrigeſcant flammarum ignes, dum eas vehementer accenſas diſpergit ventus per aera, & intra terminos ſuos fluminis curſus contrahantur, & hoc quidem, dum ripas aluei ad ſummum impleuerant: tu verò, propoſito tibi Chriſti Ieſu nomine, addo & ipſo Chriſto, qui & petit, & jubet, vt igneſcas inimico, bilis tuæ flammas, noli s extinguere, & vindictæ furioſos impetus temorari? Quid hoc rerum! ipſi ſerpentes Chriſti Domini nomini ſubjiciuntur, cedunt, obediunt, te vero tam refractarium audio, vt cum millies per nomen Ieſu te obſecramur, obteſtamur, ad genua tua aduoluimur, vt manſuetior, temperantior, modeſtior, dicteriis, periuriis, maledictis, & vltionis libidine abſtineas, nec tamen impetramus, aut proficimus ſed repellimur? Tandem, quis non ſtupeat, ipſos dæmones odio rabido contra Deum obduratos, tantum deferre Ieſu nomini, vt eo ſolo ſuper ipſos inuocato,

inuocato, arma, furias, impetus deponant, manus dent, ſubjiciantur. Tu vero, qui de Chriſti diſcipulatu, & Chriſtiani nominis dignitate gloriaris, qui te filium Dei jactas, cor geras ipſis infernalibus furiis magis furioſum, obcæcatum, lapideum; cum nec arma, nec furias, nec impetus deponas, nec manus des, nec ſubjiciaris, quamtumlibet te & rogemus, & ſupplicemus, & Dei nomine, atque auctoritate, & perſona præcipiamus: vt vindictæ parcas, iram tuam refrænes, cohibeas impetus? Neſcio quid his poſſit ſuperaddi.

Hier. 17. 9.

Modo mihi perſpicua patet ratio, cur *Hieremias* propheta, dum de hominis corde, eiuſque duritia loquitur, verè dicere potuerit: *Graue cor per omnia: homo eſt, & quis cognoſcet eum?* Ita legunt aliqui Sancti, juxta Septuaginta interpretes, & ſingulariter Diuus Auguſt. hoc quod noſtra vulgata habet. *Prauum eſt cor hominis, &c. Homo eſt, & quis cognoſcet eum?* quaſi dicat: Ecce homo, apparet mitis, blandus, vt carne genitus, & qui cor habeat carneum, & quod ſit omnium facillimum, vt cedat, & ſubjiciatur: verumtamen quòd cum in altum tollat ventus vt foliorum congeriem, eum ignis inflammet, aqua ſubmergat, febris ſubjiciat, & immotus conſiſtat? ſcito, te eius non capere naturam. *Hoc te ſcire velim eo nihil aut durius, aut fortius, aut difficilius inueniri. Graue cor per omnia.* Obſtat, renititur, mordet frænum, durum, aſperum, ferox. Cum igitur hæc ita ſint, vt nulla ſit in creatuais rebellio, nec in ipſis dæmonibus contradictio, ſed omnia manus dent & auctoritati, & Chriſti nomini ſubjiciantur: vnicum cor hominis excipitur, ſuperbum, obſtipum & Deo refractarium. Audiet alter, quod multi jugis precibus inſtemus, & quotidiana cum efflagitatione fatigemus interponendo, & nomen, & perſonam Chriſti, vt pacis fœdera nectat, vt inimicitias deponat & odia, moderetur effrænes vindictæ impetus: id denique agimus, quod Diuus Paul. dicit. *Obſecramus pro Chriſto, reconciliamini.* Et perfricta fronte reſpondebit, non faciam, non me decet, non mihi conuenit. Des mihi (amabo) rebellionem ipſa duriorem.

D. Avg. Lib. 15. contra Fauſt. c. 8. & Lib. 22. c. 40. Tom. 6.

2. Cor. 5. 20.

D. Gre. Lib. 3. Dial. c. 10.

*His* optimè Diuus Gregor. confundi teſtatur hominum duritiam, expendens inſuper adſtupendum prodigium, cuius rei veritatem ipſe inquiſiuit, quod Placentiæ contigiſſe teſtes affirmant. Domeſticè notus eſt Padi fluminis vehementiſſimus defluxus. *Hic* alueum ſuum excedens Eccleſiæ prata inundauerat, & ſpem futuræ meſſis abſtulerat. Vrbis cathedram regebat vir eximiæ ſanctitatis Sabinus nomine, hujus infortunii nuntium defert ad eum Diaconus; Cui Epiſcopus: vade ocyus fili ad Padum, eique hæc loquere: Pade fluui, præcipit tibi Sabinus Epiſcopus ſeruus Dei, vt te intra alueum conſuetum contrahas. *Mandat tibi Epiſcopus, vt te compeſcas, & ad proprium alueum redeas.* Riſit Diaconus, & vt fabulam irriſit. Vocari jubet Epiſcopus Secretarium; qui confeſtim accurrens, Epiſcopi ſuſcepit præceptum, ſcribe, inquit Epiſcopus: *Sabinus Domini Ieſu Chriſti ſeruus commonitorium Pado: Præcipio tibi in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt de alueo tuo in locis iſtis vlterius non exeas, nec terras Eccleſiæ lædere præſumas.* Accipe hoc commonitorium, defer ad fluuium, ei hoc prælege, & prælectum vehementiori aquarum gurgiti immerge: Vix chartam aqua ſuſceperat: ecce Padus ſuas recolligit aquas, intra alueum continet, nec amplius vltra effluere & Eccleſiæ ſatis nocere præſumpſit. *Hinc* Diuus Gregor. arguit rebellem hominum voluntatem: tantam habet auctoritatem ſeruus Dei, vt rapidiſſimo flumini, & ſata omnia ſubmergenti imperet in Chriſti nomine, qui obedit, mandatum eius ſeruat, qui ſcribit: *Ego Sabinus præcipio tibi:* quaſi apertas haberet aures, vt audiret, & ſenſum vt mandatis Epiſcopi obtemperaret, non quidem vocetenus prolatis, ſed ſcripto tantummodò in charta miſſis: contra quam aquæ fluuius omnibus notiſſimas habet vires. *Sancti viri præceptum ſuſcepit.* Nihilominus adeo recalcitrans & obſtipum ſit cor hominis (quis credat?) quod ipſi Chriſto venienti; & ore proprio præcipienti: *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros:* furoris aquas non recolligat, & exundantes impetus non retardet, non obediat? *Qua in re quid aliud, quàm inobedientium hominum duritia confunditur, quando in nomine Ieſu elementum ipſum irrationabile Sancti Viri præceptis obediuit?* Hic optimè quadrat admiratio, quam ex Hieremia propheta retulimus. *Graue cor per omnia.*

VII. Miraculum de Pado fluuio.

D. Gre.

**§. 7.** *Verſatur hæc lex circa bonum honeſtum: Deus enim tui ſolicitus eſt honoris, & magni honoris actus eſt, offenſam remittere.*

27 ITerum commolamus bolum hunc & denuo videamus, quæ diximus, hoc Domini mandatum non tantum non præiudicare honori, ſed potius illum promouere: fortior & vrgentior ratio Duelli hæc eſt, quòd ſi quis iniuriis laceſſitus vltionem de iis non exigat, nec ſe exoneret per parem contumeliam ob illatam ſibi offenſam, ſed dicteria ſurda aure pertranſire, & perſecutiones, quaſi vinctis manibus & vecors animi perferre ſit paratus, honori ſuo deroget: hoc enim facto, ſe puſillanimem, ſocordem, proiectum, gallinam, & fracto animo virum denotat: hoc iudicio notat mundus eos, qui libidine vindictæ non animantur; vnde ortum commune prouerbium: talis manet obligatus, honor eius oppignoratur. Huic duo oppono. Primum: hoc noſtrum eſt infortunium, niſi melius dixero, hæc noſtra eſt impudentia, quod tantum vt Deo non obediamus, & ea omittamus, quæ nobis præcipit, in medium honorem noſtrum adducamus & eum præ oculis habeamus.

I. Non eſt honorificum male viuere.

O Vtinam, Chriſtiani, honorem hunc ſemper præ oculis haberetis, vt nulla peccata committeretis, quæ facitis, & contra honorem veſtrum militant. Dicito tu mihi, qui eo ſtimulo adeo pungeris: an honorificum eſt tam profanam vitam ducere, qualem ducis, perturbando viduam, prouocando maritatam, puellæ virginis honorem maculando? An honorificum, tam gulæ deditum, ventri ſeruire, epulonem viuere? cuius actionum regula appetitus ſit deordinatus eſus ac potus, ac ſi irrationabile brutum aleres. An honorificum, concubinatus ſordibus inquinari; quo vxorem propriam extremis conficis anguſtiis, bona diſſipas, amicum tuum exulceras, Rempublicam ſcandalizas? An honorificum, ita agere, vt agis, tot mendaciis, dolis, fraudibus, decipulis pauperculum circumvenire, eiuſque ſanguinem vſuris & oneroſis contractibus exhaurire ſangui ſugam? An honorificum ita incedere vt incedis, mille vanitatibus & luſibus occupatus, bona tua immodico conſumens luxu, debitis non ſatisfaciens, operario debitam detrahens mercedem, teſtamenti patris tui exonerationi non intendens defraudator? qua ratione tibi honorem concilias ex eo quod, quæ tibi Deus præcipit, omittas, potius per hoc eum tibi comparas.

Dico Secundo. Hoc quod neruosè & ſubtiliter proſequitur Diuus Chryſoſtomus. Non vult Deus honoris tui vllum detrimentum, quin potius, non tibi tantæ curæ eſt illum ſartum tectumque conſeruare, ſicut illi, vt eum tu conſerues. Perlege totam eius ſanctiſſimam legem, tam antiquam Moyſi, quàm nouam Sancti Euangelii, & licet reperias, quod Deus à ſuis aut petierit, aut petat, quicumque voluerint ei amicitia coniungi, aut ſeruitio famulari, relinquant patrem, matrem, fratres ac ſorores, amicos, campos, vineas, bona, adhuc autem & animam ſuam, nullibi inuenies, quod vnquam voluerit, vt honoris æſtimationem abnegent, quinimo eius ſemper voluntas illa fuit, vt ſummopere ſint ſolliciti pro eiuſdem immunitate, magis quam pro theſauris infinitis: *Curam habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille theſauri pretioſi, & magni.* Et alio loco: *Ne des alienis honorem tuum.* Quinimo quicumque ex cordis ſynceritate Deo quærit deſeruire, non confundetur, non contemnetur, vt vilis & abiecti animi peripſema. *Qui credit in eum, non confundetur.* Non ſibi in ſeruos Deus adſcribit fæcem populi, homines abiectos, & ab omnibus vt viles reiectos, terræ filios ſed bonæ fidei, magnanimos, honoratiores quos mundus colit. Tales omnes vidit Dauid tanto ab omnibus honore exceptos, vt modum excedere videatur: *Mihi autem nimis honorificati ſunt amici tui, Deus.* Hoc ſuppoſito ait Diuus Chryſoſtomus ne timeas, quod Deus tibi ſit præcepturus, ea quæ vergant in tuum dedecus aut infamiam: nullatenus, quinimo hoc, quod à te exigit, in magnam tui cedit æſtimationem. Porro diabolus te turbat & intellectum obcæcat, mundus ſuis fulgetris & tonitru mentem tuam obnubilat terrenis phantaſmatibus, & id agit, vt id tibi videatur & nociuum & indecorum, quod tibi maximi eſt emolumenti & honoris. Hoc optimè nouerat Propheta Regius in Pſal. 118. In quo nihil præter eminentiam Diuinæ tractat legis, & quo latius excurrit, eo altioribus ſcatet myſteriis: hunc pſalmum vocat Diuus Auguſtus. *Pſalmum magnum.* Ait ergo Dauid: *Amputa opprobrium meum,*

Margin notes: 28 Hom. 23. ad pop. — II. Deus ſuis ſollicitus eſt honoris. — Eccleſ. 41. 12. — Prou. 25. — Rom. 11. — Pſal. 138. 17. — Pſal. — D. Aug. Tract. in Pſal. 118. — Pſal. 118. 39.

*meum, quod ſuſpicatus ſum. quia iudicia tua iucunda.* Domine, hoc omnibus prorſus obuium & certum euaſit, mandata tua cordi eſſe perjucunda: *Iudicia tua iucunda.* Hoc nomen (*Iucunda*) in Hebraico ſonat, *Tobim*, quod Diuus Hieronymus transfert (*bona*) ex verbo Iob, quod ſignificat bonum abſolute, hoc eſt, quod in ſe nullam includit rationem mali, quæ ei poſſit obiici. Sic accipitur in hac ſententia: *Vidit Deus lucem, quod eſſet bona.* Sunt mandata quædam bona, plenis buccis, & cunctis manibus, hoc eſt, in ſe continent omnes rationes boni vtilis, delectabilis, & honeſti, ideo ad hoc ſignificandum tranſtulit noſtra vulgata (*Iucunda*) quia bono proprium eſt lætificare, & ille perfecte & pleno gaudio hilareſcit, qui omnem plenè boni poſſidet rationem. Sic ſe res habet, o Domine: porro turbat me ſuſpicio quædam opprobrii & dedecoris. *Opprobrium, quod ſuſpicatus ſum.* Suſpicio, timor quidam eſt; qui in corde tuo exſurgit, & te diuexat ex dictis, incertiſque indiciis.

III. Nihil Deus præcipit in noſtrum dedecus. Gen. 1. 4.

Eſt tibi gu...us æqualis præclariſſimus, ingenioſe & magnis ſumptibus erectus, a progenitoribus tuis, quem vt opus coronarium aut vel argento purgato incluſerunt, approbatus hic à certioribus auri examinatoribus, ad cotem b.s, terdmo millies reuocatus, & ad ſacoma appenſus. Venit neſcio quis nequam imperitus Alchimiſta, hic nititur tibi perſuadere magnam artem latere in purificandis metallis, iuxta regulas ſuas & præcepta purificandi metalla aut quæuis alia in ſublimatorio, faſcinat mentem tuam, aſſerit argentum illud multa commixtione pollutum, rubigine corrodendum, nec in aurificum officinis vt legitimum recipiendum. Adeſt alius talis, & hoc idem confirmat, qui te turbet regulis quas communiter ſeruant aurifices vulgares. Eorum dicta ſuſpicionem quandam tibi pariunt, quæ te adeo contriſtet, vt, licet probe ſcias argentum hoc eſſe excoctum & obryzum, nihilominus inter diuerſas opiniones diſtraharis de veritate dubius. non verum, non falſum.

IV. Similitudo.

Quæ auri pars vel argenti tam purificata, defæcata, vt lex Dei, quæ Diuina eius mandata complectitur? Quale argentum? quam obryzum? hoc ipſum iudicat Rex propheta; *Eloquia Domini, eloquia caſta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum ſeptuplum.* Eloquia (inquit) Domini & mandata eius caſta ſunt id eſt, pura, defæcata, nullis ſordibus, nullis maculis inquinata, quibus non ſolum non inficiuntur, ſed nec illas quidem permittunt, vt aliorum legiſlatorum mandata. *Eloquia caſta.* Sunt obryza, in pectore Dei Diuini amoris igne purificata, quo nos ardentius amat, quam ipſi patres noſtri, addo & nos ipſi nos, ac proinde patet, quod nobis nihil aliud optet, nec præcipiat, niſi quod in noſtrum tendat honorem & vtilitatem. *Igne examinata,* ſunt in terra examinata ab examinatoribus fideliſſimis & certiſſimis: illos dico Patriarchas, Prophetas, Apoſtolos, Martyres, Doctores, Confeſſores, & Sanctos præclariſſimos, & viros illos, qui abſque vllo errore de illis cenſuram tulerunt, qui optime nouerant, in quo conſiſteret ratio veri boni, honor ſecurus, & ſolidum emolumentum.

Pſal. 11. 7.

V. Dei præcepta examinata ſunt.

Hoc credit Bellarminus intelligi per (*Probatum terræ.*) Iam centies millies probata & confirmata eſt eius bonitas per acta Patriarcharum, opera & doctrinam Prophetarum, exempla Apoſtolorum, Martyrum triumphos, Doctorum ſapientiam. *Hoc eſt Purgatum ſeptuplum.* Ita vt iam ſecurus ſim Domine, ait Dauid: quod *Iudicia tua iucunda.* Nihilominus prodeunt Alchimiſtæ ſuis alchimiis & veriſimilitudinibus quas faciunt in ipſis metallis, & hoc quo ad exteriorem tantum apparentiam in oculis hominum, de exteriori ſolum cortice ſeu ſuperficie ſolliciti. Dicit vnus, non bene conuenire homini ad dignitatem euecto cum cæteris de turba ſe componere. Ait alius, magnam eſſe obcæcationem patienter ſufferre eum, qui te incompoſitis verbis inhonorat. Alter vero protrudit: hoc minus æſtimari apud eos, quos mundus magni facit, manum non attollere, contra eum, qui te petulanti lingua momordit. Adfert alter; iacturam fidei & animoſitatis ſuæ eum pati, qui leuiter percolat iniuriam ab aliis illatam, nec ex ea ſibi quærit vltionem. O Domine mi, queritur Dauid: vt certum ſemper exiſtimaui, tam bona eſſe mandata tua, vt eorum obſeruantia totius boni omnem includat rationem: *Iudicia tua iucunda.* Verumtamen, opiniones illorum mundi amatorum, excitant mihi, neſcio quam ſiniſtram ſuſpicionem: dedecus eſſe, reputari opprobrium, adferre damnum, eorum obedientiam. Non me conuincat hoc ſuſpicionis iudicium: *Amputa opprobrium meum quod ſuſpicatus ſum.* Cortinam diſſcinde, aufer vmbraculum, vt legis tuæ videant oculi mei medullam interiorem, & inueniam in ea bonorum affluentiam, mirabiles profectus, glorioſos trium-

In pſal. 11.

*Pſal. 118. 18.* triumphos, & cæleſtes delicias. *Reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua.* Hoc à Deo requiramus & hæc omnia in tota eius lege nos inueniſſe gaudebimus.

VI. *Honorificum eſt offenſas remittere.* Conſequenter, & his conformiter dico, remittere offenſam, vltionem non expetere, ſedato animo calumnias ab aliis ſibi irrogatas ſuperare, abſit vt tibi hoc vertatur dedecori, quinimo nihil maiorem tibi conciliat honorem, & te reddit illuſtriorem aut nobiliorem in oculis nedum Dei tui t ſed totius vniuerſi. Conſideremus hæc attentius ſumpto argumento, quod Logici vocant, *à priori.* Ex propria rerum definitione. Quid eſt honor? Eum definit Philoſophus cum Diuo Thom. (D. THO. *1. 2. q. 2. a. 2 & 3. contra gentes c. 28.*) *Eſt notitia clara cum laude.* Subtiliter declarat hæc definitio commune prouerbium, quo honorem dicimus, bonum odorem: qua phraſi etiam vſus eſt Diuus Paul. (*2. Cor. 2. 15.*) *Christi bonum odor ſumus Deo.* Deprompta metaphora ex horto ſeu florilegio. Hortum tibi imaginare pulcherrimis & odoratiſſimis floribus vernantem; ſpirant lilia, roſæ, violæ, narciſſi, caryophillon, cinamomum, animonium (VII. *Similitudo.*) &c. perflat ventus Eurus flores; illos colligis, faſciculum tibi componis, naribus apponis, exclamas: proh quam gratus, quam ſuauis, quam ſanus odor? Altera intrat puella, & ſimiliter ſibi faſciculum compingit ex diuerſis aromatum ſpeciebus, paſtillo, Zibetho, ſtacte, nuce odorata, muſco, ambare, roſarum puluere &c. ignem admouet, ex quibus odor plane cæleſtis exhalatur, gaudet, applaudit: hem; quis vnquam talem percepit odorem?

29 Eodem modo hominem tibi propone, qui vt floridus hortus, omnium virtutum, ſeu florum ſpeciebus adornatur, qualem Diuinus ille ſponſus ſponſam ſuam extollebat; pius eſt, honeſtus, deuotus, miſericors, caſtus, diuino cultui addictus, iuſtus, amabilis: flores hos ventus quidam perflat ex huius & illius ore procedens verba ſunt hæc, quibus colloquuntur de illo, hic & alibi, quæ ad notitiam huius ac illius perueniunt; quibus illum præ cæteris extollis, deque eo multa & illa quidem bona deprædicas? hoc eſt honor.

Vitam hominis recte compoſueris aromatum faſciculo ex omnibus aromatum ſeu virtutum ſpeciebus collecto: incenditur, quando inter homines verſatur, perflat vnus, perflat alter, multa circumferuntur laude digna: illico ſuauiſſimus illarum rerum odor percipitur, quo omnibus homo redditur admirabilis, gratus, inter ſidera ſtatuendus? Hoc dixeris eſſe honorem, Hinc primum collige nullam verum dari honorem, niſi vbi veræ florent virtutes; ex illis enim tantummodo gratus exhalatur odor; vbi vero vitiorum herbæ malum redolent: non gratum, non ſanum ſpirant odorem, ſed fætorem nulli ferendum, peſtilentem. Hinc D. Aug. educit rationem cur Romani tanto ſudore in virtutum moralium laborauerunt exercitio, Erat eorum ſtudium, fidem hominibus certam ſeruare, erga Deos ſuos, intemeratum religionis cultum; in Republica iuſtitiam, in exercitu & bellis fortitudinem, in ſubditos clementiam. An forte iſta egerunt in obſequium Dei, & meritum vitæ æternæ? minime gentium: nec vitam æternam quidem nouerant. Sed ea faciebant, (ait D. Auguſt.) quia erant honoris auidiſſimi, quem nouerant ſe non poſſe adipiſci, niſi tantum præclarioribus virtutum facinoribus. Dein infert D. Aug. ſapienter dixiſſe Ciceronem primū omnium deſiderium in mente Principis procurandum eſſe, honoris ambitionem? (*L. 5 de ciu. c. 13. & ſeq. Cicer. In libris de Republica.*) *Princeps alendus eſt gloriæ cupiditate.* Hoc enim gloriæ deſiderium, cum a vitiis deterrebit, & ad virtutum exercitium adhortabitur: cum illud tantummodo ei poſſit conferre & veram gloriam, & ſtabilem honorem.

*Hinc* diſce ſecundo qua trutina appendendus tibi ſit honor; & quomodo tibi ſciendum quæ ſit eius eſſentia, & quid dedecus; hunc enim errorem notat Spiritus. S. in mundi cultoribus, qui ſæpius dicunt honorem, infamiam; & infamiam, honorem. (*Sap. 2. 22.*) *Nec iudicauerunt honorem animarum ſanctarum.* Ibi ſolummodo verus honor reperitur, vbi Dei lex obſeruatur, & virtutes exercentur: vbi vero hæ deficiunt, & regnant vitia, honor eſſe non poteſt: cum bonus odor efflare non poſſit niſi ex odoriferis floribus: (VIII. *Quid ſit honor, quid dedecus.*) ex fætentibus enim & grauioris qualitatis, fætor peſtilens & intolerabilis exhalatur. Hoc luce clarius expoſuit D. Paul. (*Rom. 2. 10.*) *Gloria, honor & pax omni operanti bonum:* Expreſſit hoc idem Spiritus S. hac ſententia. (*Prou. 10. 7.*) *Memoria iuſtorum laudibus: nomen autem impiorum putreſcet.* Quis his libris honoratur hiſtoriarum? quis fætor tam execrabilis exhalatur legenti crimina Cain; ſcelera Saul, atrocitatem Herodis, iniuſtitiam Pilati, & aliorum iniquitates? quis odor tam ſanus, tam gratus reuolu enti faſtus Dauid, Iob; S. Pauli, S. Antoni. S. Franciſci, S. Dominici P. N. (*Eccl. c. 49. 1.*) *Memoria Ioſiæ in compoſitionem odoris facta opus pigmentarii. In omni ore quaſi mel dulcorabitur.*

Ex hoc principio deſcendamus ad rem propoſi- 30

paſſitam? Si honor conſtare non poſſit, niſi vbi virtus viget nec eſſe honor poteſt, vbi illæ exulant & multo minus vbi regnant vitia. Videamus in quo virtutes floreant: in illo, qui diligit inimicos, qui iniuriam ſibi illatam dimittit, & benefacit eis, qui eum oderunt: an vero in magnanimo, qui totus vindictæ calumniarum ſumendæ incumbit? In eo, qui diligit inimicum, qui ob amorem Dei ignoſcit calumniatori, quas non virtutes reperies? Fidem viuam, cum credat Euangelio: Spem qua Deo confidit, ſibi ea menſura fore remittenda peccata, qua ſibi obtrectanti eadem remiſit: Reginam virtutum charitatem, timorem Dei, religionis cultum, legis obedientiam, patientiam, mortificationem propriarum paſſionum, reuerentiam erga Diuina præcepta. In eo qui aut vltionem petit, aut de ea petenda agit, quæ vitia reperias execranda? Mille ſcelera, impatientiam, iram, choleram, furorem, præcipitationem, ſuis motibus inordinatis ſubiectionem, ac ſi foret ſerpens vel ferociſſimum brutum. Odium Diuinæ legis, contemptum Dei, vix vllam reuerentiam, periuria, blaſphemias &c. In remittendo igitur offenſam, ignoſcendo inimicis, patienter dicteria ſufferendo, veri conſiſtit honoris eſſentia, & in his contrariis macula, dedecus, ignominia. Proinde Chriſtus, noſtri ſollicitus honoris, hæc mandat: *Ego autem dico vobis: diligite* &c. q. d. Me veſtri honoris magis cura ſollicitat, quam voſipſos, & omnes vos opto tam illuſtres, ut in cælo ad Regiam poſſitis euehi dignitatem: quocirca vobis præcipio vt diligatis inimicos, exerceatis mille opera virtutum, quæ huic præcepto connectuntur.

## §. 8. *Hæc eſt fortitudo maxima, iniuriarum obliuio: vt patet in Deo & Dauide.*

31 ADhuc minutius bolum hunc commanducemus vt prædicta lucide perſpicias. Vos interrogo: cur vobis decus videtur vltionem expoſcere ab eo, qui te offendit, & maculam contrahi ex calumniarum ſurda mutaque patientia, aut ex eo quod manus opprobriis laceſſiti, non exeratis violentas? Reſpondebis: quia eo ipſo, quo hoc agis, cedis arenæ, te turpiter deuictum fateris; imbecilles vires tuas prodis, animum proiectum, vilem, inualidum, vecordem, inſenſibilem, exanguem. Ex eodem ego principio tibi probabo prædicta. Hoc tibi perſuade, Deo non placere puſillanimes, homines vecordes, lepores galeatos: quinimo ſibi adſcripſit imperterritos, inuictos, qui nulli contrario terga vertant, qui mundum totum oppugnent, ad omnem euentum, & ad caſus ferendos, omnemque fortunam ſtabiles, & paratos. Hoc manifeſte declarauit, dum ait, ſe milites conquirendo cælo conſcribere, non alios, quam fortiſſimos, quos vocat violentos: extremæ enim tali negotio vires exquiruntur. *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Verum & in lege veteri oderat adeo Deus puſillanimes & exangues, vt legem ſtatuerit, vt ante militum congreſſum in prælium, præconis voce proclamaretur: *Quis eſt homo formidoloſus, & corde pauido? vadat & reuertatur in domum ſuam.* Num vero tu illum fortem prædicas, qui calumniatorem proſternit, & alapam altera alapa conſtringet, pedibus ſuis in ſe aſſurgentem, deuictum conterit? Et ſic de fortitudine, & hominis magnanimitate fers iudicium, ſicut de robore animalium, hæc enim deprimis, vt languida, quæ viſo hoſte terga vertunt, latebras quærunt, & ex puſillo corde naſci canem à cane demorderi, nec dentem denti opponere, & equum ad tauri conſpectum trepidare. Pueris perſpicuum eſt, quod Spiritus S. dixit: hanc eſſe omnium maximam fortitudinem, victoriam ſui ipſius, & male ordinatarum paſſionum obtinere.

I. Deus vecordes repellet.

*Mat. c. 11. 12.*

*Deut. 28. 8.*

II. Fortitudo maxima victoria eſt ſui ipſius.

Hoc verbis illis ſignificauit, vt notat D. Gregor. *a* quæ legimus, *b Melior eſt patiens viro forti & qui dominatur animo ſuo, expugnatore Vrbium.* Huius rationem dicunt D. Chryſ. *c* D. Auguſt. *d* D. Greg. *e* Qui maiori contra hominem pollent robore, & fortioribus inſtant viribus hoſtes, & atrocius ſuſcitant bellum, ne credas eſſe aduerſarios exercitus, aut externos inimicos, ſed proprias paſſiones in anima exſurgentes. Patet hæc veritas (ait D. Aug) quia inter illuſtriores duces, quos orbis celebrauit, multos eſt inuenire, quorum fortitudo deuicit exercitus copioſiſſimos, occupauit vrbes munitiſſimas, Regna & prouincias ſubegit: eo tamen non peruenerunt, vt proprias paſſiones ſeu affectus debellarent. Proſtrauit Dauid Gigantem, (ait D. Ambroſ.) porro affectum cordis ſui deuiantem non compreſſit, qui eum ex conſpectu Bethſabee deiecit; obtinuit illuſtriſſimos triumphos: *Percuſſit Dauid decem millia*, & percuſſit eum mulieris vnius affectus.

D. Gre. a *Ho. 18. in Ezech. & Ho. 35. in Euang. & 3 p. Paſtor. admon. 10.* b *Pro. 16. 32.* c *Ho. 1. de Saule & Dauid.* d *& l. 1. de ciuita. c. 1. & Epiſt. 5.* e *Loc. cit.* *1. Reg. 18. 8.*

Ita notat D. Auguſt. ex Cicerone. Iulium Ceſarem non omnimoda laudatum fortitudine licet

*In Paradoxis de Ceſare.*

licet enim Regna multa, Prouincias & Duces ſuperauerit; proprias tamen ſubigere paſſiones fuit imbecillis, quinimo hæ de eo triumpharunt; & ad extrema dedecoris & infamiæ deiecerunt, ad laſciuias & ebrietates impulerunt. Hoc idem aduertit Diuus Ambroſ. de Samſone. *Samſon validus & fortis leonem ſuffocauit, ſed amorem ſuum ſuffocare non potuit. Vincula ſoluit hoſtium, ſed ſuorum non ſoluit nexus cupiditatum Meſſes incendit alienas, & vnius ipſe mulieris accenſus igniculo meſſem ſuæ virtutis amiſit.*

D. Amb. Apolo. 2. de Dauid. c. 3. Tom. 1.

*Huic* congrue ſolebat dicere Diogenes Cynicus; Principes tyrannos numquam abſolute eſſe fortes; quia licet multos ſibi ſubiugent, tam homines, quam Prouincias, illos tamen ſibi ſubditos tenent peruerſæ paſſiones, & deuictos demonſtrant vitiorum ſuorum monſtris, vt beſtias, & ab omni hominum ſenſu abalienatos. Ad hæc conſcripſit Diuus Ambroſ. tractatum in pſal. 104. in quo rogatu amici ſui S. Simpliciani Epiſcopi, probat & perpalam demonſtrat eum tantummodo mereri nomen Domini qui bonus ſit, & qui rationis legibus obſequitur, & ſuorum appetituum ſibi ſubſternit affectus, de quo Solon ſapiens librum inſcripſit: *Quod omnis probus liber.* Quod cæteri omnes, licet vt magni Domini fuiſſent honorati, in rei veritate tamen tales non eſſent; nam licet exterius exercerent dominium in homines, interiores tamen paſſiones & motus eis dominarentur, eoſque ſibi ſubiectos redderent. *Gemina eſt ſeruitus* (ait D. Ambroſ.) *Altera corporis, animarum altera. Domini corporis, homines, animarum autem malitiæ & paſſiones, à quibus ſola animi libertas ſapientem vindicat, ut ſeruitio eis liceat exire. Vnde colligitur: quia & ſtulto ſeruitus eſt, imperare: & quod peius eſt, cum paucioribus præſit, pluribus Dominis & grauioribus ſeruit: ſeruit enim propriis paſſionibus, ſeruit cupiditatibus, quarum dominatum, nec nocte poteſt fugere, nec die; quia intra ſe dominos habet, intra ſe ſeruitium patitur intolerabile.*

D. Am. T. 4.

Ne tibi perſuaſum habeas, illos omnes, qui tibi videntur eſſe Domini: quinimo tanto magis ſuorum motuum eſſe ſeruos interius, quanto amplius dominium obtinent exterius. Habent illi ſibi ſubditos homines, & ipſos tenent interius ſibi ſubditos & deiectos affectus irregulares. *Seruit igitur peccator formidini, ſeruit etiam cupiditati, ſeruit auaritiæ, ſeruit libidini, ſeruit malitiæ, ſeruit iracundiæ, & videtur ſibi liber, ſed magis ſeruit, quam ſub tyranno poſitus. Illi autem liberi ſunt, qui legibus viuunt &c.*

Concluſum igitur ſit principalẽ tuam fortitudinem conſiſtere in tui ipſius victoria, dum tibi ſubſternis motus & paſſiones tuas, illas rationi ſubiugas, & ſecundum illam refrænas. Hinc infert D. Thom. Actum maioris roboris ſeu animi, eſſe actum patientiæ: hæc enim vincit, ligat, refrænat hominis hoſtem infenſiſſimum. Si enim hominis potentiſſimi ſunt inimici propriæ paſſiones, omnibus eſt in profeſſo (ait D. Chriſoſt.) harum omnium validiſſimam & feruentiſſimam eſſe iram; hæc enim ignis eſt, qui accenditur in ſanguine circa cor, & turrim poſſidet principalem ſcilicet caput & iudicium, & te rapit extra te, ſic vt locum conſilio, ſeu rationi non cedas, vt tu ipſe fatearis (ait) quod te raperit extra teipſum & rationis vſum turbarit. Vnde & ipſe amicus Iob robur animi ſociauit patientiæ cum ait: *Vbi eſt fortitudo tua, & patientia tua?* Quid dicam? Inter ipſos Ethnicos tam explorata erat hæc veritas, vt bini & trini hanc per plateas decantarent verſibus quos ex Horatio profert D. Auguſtin. & cecinit eleganter Poeta Mantuanus.

2. 2. q. 123. ar. 6

Ho. 25. ad Popu.

Iob 4. 6.

D. Aug. De ciu. 14. Tom. 5

*Fortior eſt, qui ſe, quam qui fortiſſima vincit*
*Oppida; nec virtus altius ire poteſt.*

Et idem ipſe:

*Ardua res viciſſe alios, victoria maior*
*Eſt animi fluctus compoſuiſſe ſui.*

III. Dei fortitudo in tolerandis peccatoribus.

Hinc innoteſcit magnum S. ſcripturæ arcanum, quod iterato repetit in eo maxime Deum declarare ſuam infinitam potentiam, fortitudinem & maieſtatis robur immenſum, quod patienter calumniatores, detractores, & perferat inſectatores; Diuina Diuini ſpiritus accipe verba: *Miſereris omnium: quia omnia potes:* & paulo inferius: *Ob hoc quod omnium es Dominus, omnibus te parcere facis: virtutem enim tuam oſtendis tu.* Emphatice dictum eſt (*Tu*) q. d. Homo miſerabilis, languidus, infirmus credit robur ſuum & animi magnitudinem conſiſtere in occidendo, trucidando, perdendo calumniatorem. Porro tu, Domine, omnipotentiam tuam & pectoris robur in ignoſcendo, parcendo, inimicis benefaciendo patefacis. *Virtutem enim tuam oſtendis tu.* Ex quo Eccleſia hauſit hanc tam celebrem orationem: *Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo maxime & miſerando manifeſtas.* Notandum eſt illud aduerbium (*Maxime:*) nulli enim dubium eſt, quin Deus omnipotentiam ſuam in creatione Angelorum manifeſtarit, mundum hunc vniuerſum de

Sap. cap. 11. 24. & 12. 16.

nihilo

nihilo creans, gubernans cælos, peccatores diluuio caſtigans, quo totum ſubmerſit orbem, igne quinque ciuitates in cinerem redigent, terræ hiatu Core, Dathan & Abiron abſorbens: an non clariſſima ſuæ potentiæ ſigna demonſtrat? Vtique. Sed in quo eam demonſtrat in gradu ſuperlatiuo, *Maximè?* id facit, in remittendo peccata, in miſericordiam largiendo ſibi iniurias irrogantibus: hic enim patet, eum tam potentem eſſe Dominum, vt eum nec affectus turbet, nec ira præcipitem agat, ſed quòd inter maxima ſcelera maneat cor eius pacificum, peccatoribus immerita conferens dona beneficiorum

Hanc doctrinam concludit D. Paul. caſu quodam ſingulari, quem ideo Deus permiſit, vt in eo argumentum quoddam brachij ſui ſeu omnipotentiæ daret patentiſſimum. *Quod ſi volens* (Rom. 9. 22.) *Deus* &c. *notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ, apta in interitum.* Voluit Deus mundo exhibere ſuarum perfectionum exemplum, & Diuinorum attributorum clariſſimum ſpecimen, proinde modò potentiæ ſuæ ſtatuit exemplum. Sed quomodo? proſternendo inimicos? Euaginando gladium contra refractarios? ignes & flammas de cælis depluendo in ſui contemptores? Nequaquam: Et licet per hæc ſuæ det potentiæ ſpecimen, non eſt tamen ſuæ fortitudinis hic actus ſupremus. In quo igitur oſtendit? In perferendo, in patienter agendo, in miſericorditer ingratos & ſceleſtiſſimos quoſque expectando. *Suſtinuit in multa patentia vaſa iræ apta in interitum.* Suſtinet peccatores maximos vaſa iniquitatis, vno, altero, & tertio die, eos luce ſolis illuſtrat, pluuiæ illis aquas concedit, in ſuo illos eſſe conſeruat, in omnibus, & per omnia ſuſtentat. Hæc eſt Dei fortitudo maxima, hæc eius immenſa potentia.

(Hom. 2. de Saule & Dauid.) Ex hoc principio demonſtrat D. Chryſoſtom. quis fuerit actus, in quo ſe Dauid oſtendit fortiſſimum. Præclara geſſit Dauid, ad cuius pedes ſeu infima non peruenerunt ficta Ethnicorum facinora de Hercule, Achille, Vlyſſe, Ænea, Cæſaribus: Adhuc adoleſcentulus, imberbis, rufus, pulcherrimus inſtar Germani, ouium paſtor. Videns leonem confeſtim accurrebat: etenim eius brachiis leo fortiſſimus animalium, vt agnus habebatur, & in agni modum ab eo comprehendebatur, præfocabatur, dilacerabatur: teſtis huius facinoris eſt Spiritus S. (Eccl. 47. 3.) *Cum leonibus luſit, quaſi cum agnis.* Aduertit vrſum, nec ab eo refugit, ſed aduenientem præſtolatur, quinimo inſequitur, & irruens in eum, collum contorquet, & inter manus conſtringit, pullum gallinæ dixeris eum interfeciſſe Demum quid narrem victoriam illam toto orbe celeberrimam, quam de monſtruoſo illo, & tam horrifico retulit gigante, vt fortiſſimi quique Iſraelitarum ad conſpectum eius latebras quærerent, quinimo & integer eorum exercitus fugam arriperet; hunc vnico fundæ iactu ſolo proſtrauit, & vt paſſerculus velociſſimus in proſtratum inſiliit, iacentis eduxit gladium, & propriâ machera caput à corpore detruncauit. Celeberrima hæc victoria, quam mundus celebriorem iudicauit, quam ſi ipſe ſolus hoſtium decem millia profligaſſet, vnde huic reuertenti ex duello mulieres accinebant: *Dauid percuſſit decem millia.* His non obſtantibus, (ait D. Chryſoſtom) non hic maximi roboris actus fuiſſe laudatur, nec omnium celeberrima Dauidis victoriarum inſcribitur. (1. Reg. 18. 8.) Quis igitur actus maximè heroicus, in quo ſuæ magnanimitatis ſpecimen dediſſe prædicatur? quæ eius victoria omni exceptione maior? Illa fuit, ita fuit illa, quam in ſpelunca obtinuit, dum illi fortuitò occurrit ſocer eius Saul.

Adagij vicem ſubiit infernalis illa rabies, quâ Dauidem ad necem Saul perſequebatur, calumniæ, quibus eius honori detrahebat: ob quas & alias rationes prætendunt *a* D. Chryſoſtom. *b* D. Gregor. licitum fuiſſe Dauidi ſaluâ conſcientia Saulem interficere. Per montes & inuia profugus oberrat Dauid: Hunc Saul copioſâ militum manu perſequitur; profundi ſpelæi latebras ſuis comitatus militibus ſubintrat Dauid, id ignorante Saule: Premit hunc naturæ ſeceſſus, antrum ſubit ſolus, eos, qui intus latitabant, non aduertens. Vidit eum intrantem Dauid, vident eius & milites, & continuò cubito ſilenter Dauidem incitant, Eia Dauid Eia Dauid: *Ecce dies, de quo locutus eſt Dominus ad te: ecce ego tradam tibi inimicum tuum, vt facias ei, ſicut placuerit in oculis tuis. Propitius ſit mihi Deus ne mittam manum meam in Chriſtum Domini.* Enucleat D. Chryſoſtom. fortiſſimas rationes, quas Dauidi proponebant: iniuriam eamque maximam ipſi à Saule illatam, periculum capiti eius imminens, ſi eum hâc oblatâ ſibi à Deo occaſione, non confoderet, moleſtias quibus anxius oberrabat, & ſecum in eadem milites ſuos inuoluerat, & quod qui hoſti ſuo parcit, in eiuſdem manibus moriatur &c. (*a*) Nihilominus perſtat Dauid immotus, & ait: Viuit Dominus: non extendam in eum manum: hoc ſolummodo egit; oram chlamydis Saulis ſilenter abſcidit. Egreſſo Saule,

(33. a Ho. cit. D. Aug. in Pſ. 131. b Prolog. in Pſ. pœnitent.)

IV. Quę fuerit maxima Dauidis fortitudo.

(1. Reg. 24. 5.)

((a) quien a ſu enemigo popa, en ſus manos muere.)

Saule, pariter antro egreditur Dauid: acclamans? *Domine mi Rex*: quid me perſequeris? vide, me nihil aliud optare, quàm tibi deſeruire: Agnoſce oram chlamydis, quam reſcidi: ex qua luce clarius patebit, quàm fueris inſcienter manibus meis traditus & meæ poteſtati: quàm mihi perfacile eodem quo fimbriam chlamydis abſcidi pugione, & vitæ tuæ filum diſcindere. Verumtamen abſit hoc à me &c.

Hic roboris ſui trophæum erexit Dauid: dicit D. Chryſoſtom. hæc eius laudatiſſima victoria: fortiſſimum enim hoſtem ſuperauit, eumque talem, ad cuius internecionem illi opus erat & corde & pectore robuſtiori. Quando Dauid leones & deiecit & membratim diſcerpſit ipſis leonibus euaſit fortior; quando præfocauit vrſos, ipſis vrſis habetur robuſtior: quando Gigantis proſtrauit ſuperbiam, ipſo gigante celebratur maior: porro modo ſeipſum ſuperans, ſeipſo fortior decantatur. Dum in antro fimbriam præſcidit Saulis veſtimento, non ei erat hoſtis infenſiſſimus ſocer eius ipſe Saul: nec qui in eum crudeliora mouebat bella; nequaquam; ſed proprius affectus, inclinatio propria, quâ cor eius ad Saulis cædem incitabatur acrius: & licet veraciter pugione Saulis pallio fimbriam reſciderit, verumtamen cordis ſui inordinatum affectum præfocauit glorioſior, cuius Deo obtulit gratiſſimum ſacrificium. Sic eſt, fuit hic difficillimus, fuit hic fortiſſimus inimicus, & is tantus; vt ipſemet Saul totus attonitus Dauidi dixerit: Eia Dauid, quid proloquar? Tantumne tibi eſt pectoris robur, quo tantum tui cordis affectum valeas ſubiugare? *Quis enim, cum inuenerit inimicum ſuum, dimittet eum in via bona?* 1. Reg. 24. 20.

Et quid vos cogitatis: pectoris robur, & animi magnitudinem in eo iactari, quod eodem momento, quo quis te vel vnico lædit verbo, ſtatim manum applices gladio, caput medium diffindas, aut manum attollas, vt alapam impingas? Toto oberras cælo: non hoc animi robur, ſed puſillanimitas: quam tunc tantam prodis, vt de te tua cholera triumphum agat, te correptum extra rationis vſum trahat infamem, vultu ferocem, oculis turbatum, linguâ incompoſitum, actionibus peruerſum, vt ipſe tu (ait D. Chryſoſtom.) in te reuerſus, bile iam deferuente, ſtultitiam tuam, mores incompoſitos & animi ferocitatem, rubore confuſus eorum, quæ egiſti, in excuſationem tui hoc producas: non eram mei compos, rationis vſum cholera abſtulerat. Ipſe tu, non alium iudicem quæro, tuam fateris imbecillitatem, tuam accuſas impotentiam: Certè vlteriores mihi non erant vires, verè hoc in mea non erat manu. Sic eſt, vt fateris, ſic eſt. Hæc animi præſtantia, hæc tui foret pectoris altitudo, dum honori tuo quis maculam aſpergit, & acerbiſſimè de te loquitur, cum gladio non confodias, ille enim minor eſt inimicus, ſed furorem tuum, bilem tuam infenſiſſimum tibi hoſtem. Hæc & alia lege. Tract. 4. §. 11. & ſeqq.

### §. 9. *Hæc lex, lex eſt Reipublicæ Dei, quocirca honorificum eſt ei illam ſeruare, qui viuit in illa.*

ADdamus ad hoc aliam rationem, maſticantes hunc bolum. 34 Placet ne tibi attendere, quod ſummum tibi pariat honorem, & nullatenus infamiam, vel minimam remittere offenſam? Attende, ad quos Chriſtus dirigat hæc ſua præcepta: *Ego autem dico vobis. Diligite* &c. Qui ſunt illi? Chriſtiani, nos qui in Chriſti republica, quæ eſt Eccleſia, viuimus. Nullum eſt regnum, nulla Reſpublica, ciuitas nulla, quæ non habeat ſuas leges, bono regimini conuenientes: nullum verò reperias ciuem tam Reipublicæ ſuæ iniurium, qui ſibi vertat dedecori, eaſdem ſeruare leges; quin potius, vt ſufficientem titulum & facti rationem hoc producit: hæc eſt lex huius Reipublicæ. Et hoc ipſum confirmat D. Paul. *Scimus, quoniam quæcumque lex loquitur, iis qui in lege ſunt, loquitur, vt omne os obſtruatur.* Reſponſio eſt, quæ os cuicumque aduenæ obſtruat, dum te interrogat: cur hoc, aut illud agis? dicere, hoc ego ſecundum legem iſtius ciuitatis, in qua viuo & hoc ibi in praxim deducitur.

I. Honorificum eſt ſui ſtatus ſeruare leges.

Rom. 3. 19.

Conqueritur Iacob de Laban, cur contractu inito de accipienda in vxorem filiâ eius minori, maiorem ſubſtituerit, hæc Labani reſponſio os Iacob obſtruxiſſe videbatur: *Non eſt in loco noſtro conſuetudinis, vt minores ante tradamus ad nuptias.* Gen. 29. 26. Viuit vir ſanguine clarus in Republica ſæculari, prodit in forum auro & ſerico indutus, torquem auream collo circũdat, pileum plumis inornat, chlamydem gerit tæniis ſuffultam, gladio femur cingit incruſtato, calceos induit feneſtratos: & hoc ei honori vertitur, talis enim eſt habitus vſu conſuetus in tali Republica, nobili ſæculari. Accidit, vt hic idem inter Fratres Minores Capucinos adſcribatur: veſte induitur cinericia, ſaccis & pitaciis conſuta, nudipes incedit, fune ſetaceo præcingitur: hic

II. Similitudo.

veſtiendi

veſtiendi modus cedit ei in honorem, & cur
ita? talis enim legibus Reipublicæ monaſticæ
præſcribitur, ad quam ſe tranſtulit: ſi verò ad-
huc ſæcularis viuens coronam ſibi tonderet,
diſcalceatus incederet, fune cingeretur, honori
eius detraheretur quàm maximè: quinimò &
maiori exponeretur riſui Monachus, ſi in fo-
rum deſcenderet plumis galeatus, caligis ſeri-
cis indutus, & gladio obarmatus inaurato. Na-
tus eſt homo in Republica Adami, Filius iræ,
Satanæ ſubditus, & paſſionum ſuarum legi-
bus adſtrictus: hæ enim ſunt corruptæ & de-
prauatæ naturæ leges. Porrò nos Deus, ſuâ mi-
ſericordiâ, de hâc Republicâ peruersâ euulſit,
& in ſuam tranſtulit Rempublicam ſeu Re-
gnum, nos ſuæ ciuitatis (quæ eſt Eccleſia) ci-
ues conſcribens. O quantum beneficium! O
quæ gratia: cui parem referre non poſſumus.
[Ad Coloſſ. 1. 12.] *Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in
partem ſortis Sanctorum in lumine, qui eripuit nos
de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum
filij dilectionis ſuæ, in quo habemus redemptionem
per ſanguinem eius remiſſionem peccatorum.* Ita
vt modo vobis dicere poſſimus cum D. Paulo:
[Epheſ. 2. 19.] *Iam non eſtis hoſpites & aduenæ, ſed eſtis ciues
Sanctorum & domeſtici Dei.* Iam nunc viuitis,
in ciuitate, imò in domo Dei hæc veſtra eſt ci-
uitas, hæc veſtra Reſpublica. Ex quo perſpi-
cuum fit, firmiter tibi credendum, tuæ dignita-
tis honorem augeri, ſi iuxta eius leges viuas &
inſtituta.

III. Simili-tudo.

Si Clariſſimus Venetiarum hoc ſibi in ſui no-
minis æſtimationem trahat ſeruare Reipublicæ
ſuæ leges, ſi Nobiliſſimus Florentinus Floren-
tiæ obſeruet inſtituta, ſi ciuis Barcelonenſis in
duellum prouocet eum, qui auſus fuerit expro-
probrare, honorem ſuum offundi, dum ſuæ ci-
uitatis conſtitutiones obſeruat; an non pariter
accreſcet honori ciuis Regni Dei, & Eccleſiæ
ſuæ, ciuitatis huius mandatis obedire? Prorſus
inquies ſi ad eum modò non deſcenderis erroris
abyſſum: vt eam, eiuſque crederis præcepta,
cæteris omnium ciuitatum, Rerumpublicarum,
& totius mundi legibus eſſe viliora, infauſtio-
ra, & imprudentiora. Hanc optimam rationem
[Rom. 7. 5.] adduxit D. Paul. *Cum eſſemus in carne, paſſio-
nes peccatorum quæ per legem erant, operabantur
in membris noſtris, vt fructificarent morti. Nunc
autem ſoluti ſumus à lege mortis, in qua detineba-
mur, ita vt ſeruiamus in nouitate ſpiritus.* Qua-
les verò regni Dei & ciuitatis ſunt leges? Hoc
omnibus conſtat, quòd eas ad bonum ſui regi-
men decreuerit. Præcipuæ ſunt illæ, quas in E-
uangelio proponit, & inter illas, quæ cæteris
præeminet, eſt hæc. *Ego autem dico vobis: dili-
gite inimicos veſtros.* Nullus ergo, qui huius
Reipublicæ ciuis viuit, credere poteſt ſe exiſti-
mationis ſuæ iacturam pati, ſi eas obſeruet, ſed
potius maximum inde oriri ſui honoris incre-
mentum.

Examinat D. Chryſoſtom. verba illa, quibus 35
Ioſeph reſpondit fratribus ſuis, & ea ſatis intel- [Hom. 69. in Gen.]
lectu difficilia, & plena myſteriis. Mortuus erat
Iacob pater, timuerunt fratres eius, ne Ioſeph
recordaretur iniuriarum, oppreſſionis, venditio-
nis, quibus eum contra fas & nefas grauiſſimè
læſerant: quando eum inuidiâ furioſi cogitaue-
runt occidere, deiecerunt in ciſternam veterem,
vendiderunt Iſmaelitis; & quod vltionem de-
bitam ab eis expoſceret: vnde timore perciti,
eum adeunt, nec auſi proprio eum nomine, &
auctoritate interpellare: videbant enim ſe nihil
in delicti ſui purgationem poſſe adducere: cum
nomine patris ſui iam pridem defuncti & piæ
memoriæ alloquuntur. *Pater tuus* (nec præſu-
munt dicere *Pater noſter*, ſed *tuus*, vt commiſ-
ſioni maiorem conciliarent auctoritatem) *præ-
cepit nobis, antequam moreretur, vt hæc tibi ver-
bis illius diceremus. Obſecro, vt obliuiſcaris ſcele-
ris fratrum tuorum* &c. Ioſeph verò blando
vultu & ſubridens, vt Angelus reſpondet. *Noli-
te timere, num Dei poſſumus reſiſtere voluntati?*

IV. Exemplo probatur Ioſeph.

[Gen. 50. 16.]

Quid ais, ô piiſſime Ioſeph? Num fortè, quod
fratres tui fecerunt, voluntas Dei fuerit, cui
non potuerunt reſiſtere? Num fortè his verbis
fratres tuos, quæris exonerare, & totius faci-
noris culpam in Deum reiicere, dum ais eos ad
hoc à Deo tali vi conſtrictos, vt reſiſtere mini-
mè valuerint? Hic ille eſt prætextus, quem
blaſphemus Lutherus peccatoribus inſtillat &
& perſuadet, dum docet; quod in peccatis ſuis
à Deo cogantur, nec libero vti poſſint arbitrio.
Non hoc dicere intendit Sanctiſſimus Ioſeph,
blaſphemum, impium ac hæreticum hoc eſt,
nec loquitur de voluntate Dei in ordine ad il-
lud, quod ipſi impiè fecerunt, ſed in ordine ad
illud, quod ipſe agere tenebatur. q. d. Noli-
te timere, Fratres mei: nos enim, qui habita-
mus in domo Dei, & gloriamur nos eſſe ciues
eius Reipublicæ, non poſſumus, nec decet nos
reſiſtere aut contradicere eius voluntati, nec in
vllo deeſſe iis, quæ nobis per mandata ſua de-
clarauit. Eo planè modo, quo Regis familiaris,
qui ab eius manu recepit, & quotidie benefi-
cia recipit, in ore ſemper habet. Non poſſum
ego deeſſe Regis voluntati, & vilis, ac infamis

V. Locus difficilis explicatur.

æſtimaret, ſi mandatis eius rebellis inueniret; vt ante dixerat idem Ioſeph Dominæ ſuæ laſciuæ & impudicæ, quæ eum ad ea prouocabat, quibus de dignitate Domini ſui quàm plurimum detrahebatur.

Gen 39.9. *Quomodo poſſum hoc malum facere?* Hoc bene expendit lectio Septuaginta Interpretum, quam ſequitur & notat D.

Hom.67. Chryſoſtom. quæ eſt vltima in Geneſ. hoc quod noſtra vulgata habet: *Nolite timere, num Dei poſſumus reſiſtere voluntati?* Ipſi legunt: *Ne timeatis: Dei enim ſum ego.* q. d. Scitote, fratres mei quòd ſum ego famulus magnæ domus Dei, & de quo maximè me oſtento, hoc eſt, quod leges domus eius obſeruo, & quas illi adimplent; qui ſe ſeruos & ſubditos eſſe profitentur *Ne timeatis, inquit: Dei enim ſum ego, & Dominum meum imitor, & beneficia reſpondere ſtudeo iis, qui non ferenda contra me faciunt: Dei enim ſum ego* Huic rationi applaudite. Quem enim mihi nobilem reperias, quem Rex in palatium ſuum aduocaſſet, & mille beneficiis honoraſſet, qui eo dementiæ veniret, vt Regias leges obſeruare contemneret, & labem honori ſuo inuri iudicaret, mandato Regis obtemperando?

☞ 36 O Deus ter maximè, quàm mihi iuſtum videtur, poſſe me deflere triſtem ſortem tuam in ſubditis. Parce mihi, ô Domine, dimitte mihi loquendi modum, nam video nullum eſſe Regem ſeu Dominum tam abiectum, cuius ad minus ſubditi, & familiares, non glorientur, de veſte diſcriminali, & eius obſeruatione mandatorum.

VI. Similitudo. Quod alter barbarus Muſtapha; quia illi dixerat Magnus Turca; ſi pons ad tranſitum fluminis non inueniatur, natando pertranſiret; ſibi hoc ſplendori vertat, eum peruadare, licet ſciat omnes ſubmergendos, ſicut reipſa interierunt, eo ſolo nomine quod dicat, illam gloriam in hoc mundo ſe poſteris tradere, quod ſine vlla replica perfecerit id, quod ei magnus ſuus Dominus præcepiſſet.

4. Reg. 3. 27. Quòd ipſe Rex Moab, & totius nobilitatis præcipui, in hoc famam quærerent, ſi ipſi propriis manibus, filios ſuos interficerent carnifices crudeliſſimi, & qui hoc maiori animo & diligentiâ exequeretur, ad ampliſſimos honores ſibi viam aperiret, habereturque vir omnium clariſſimus: eo quòd illi, quos vt, Deos & Dominos ſuos colebant, qui erant dæmones, ipſis hoc imperabant. Quòd laſciuus Maurus ſibi honori ducat, quando repertam vxorem in adulterio, eam nec lædit, nec obiurgat: quia ſic ei præcipit Dominus ſuus Mahometh, & hoc committat eius fratribus & amicis & parentibus. E contra verò Chriſtianus ſe confundi arbitretur, & honoris iacturam pati, ſi ea impleat quæ Deus illi præcipit, & vultu & lingua obſiſtat, quando rogamus, vt remittat offenſam, audeatque obiicere, ſe curam habere debere honoris ſui, & eo ipſo proteſtetur, ſe Deum talem colere, tam vilem & corde abiectum, qui velit ſeruos ſuos viuere contemptos, infames, inhonoros?

Admirantur omnes hanc Spiritus ſancti ſen- Tract. 4. n. 137.
tentiam: quam ad rem declarauimus. *Curam habe de bono nomine.* Attende, quid velit: *Curam habe de bono nomine:* Eccli. 41. 15. Terrena enim bona, deliciæ, cum hac vita exſpirant, honor ſeu bona fama, nequaquam. *Hoc enim magis tibi permanebit, quàm mille theſauri pretioſi* &c. Et quia poſſes rogare. Domine quid ad hoc faciam? Aggreditur ex profeſſo tractare, & quaſi in tabula proponere, ea quæ vt abiecta, infamia & probroſa habenda ſunt, & de quibus debeas confundi, ſi egeris, quorum diuerſa exponit. Luxuriæ eſſe deditum, mendacem, ſuſurronem, ingratum, latronem, parentibus immorigerum &c. Et ſtatim ea ſubiungit, de quibus abſit vt quis verecundetur, quin potius ex iis ſibi famam acquiri perſuadeat. *Pro his non confundaris, de lege Altiſſimi, & de teſtamento* Parcat tibi Deus, ne confundaris, & nomini tuo labem aſpergi arbitreris: ſi ea quæ ſunt legis Dei, ſedulus obſerues: hoc enim eſſet ſummæ impudentiæ. Quòd Domino ſuo famulus non ſeruit, malum eſt porrò ſi hoc ſibi vertat dedecori, grauior non datur impudentia. VII. Nec poteſt modo maior eſſe veſtra impudentia, ô Chriſtiane, quòd nedum Deo non ſeruias, nedum præcepta eius non obſerues, nedum vt eius regni ciuis non viuas, ſed inſuper vt infamem & abiectum ex eius legis obſeruatione credas, euaſurum Et tanta ſit illa tua inuerecunda audacia, quòd nobis obteſtantibus ex parte Dei tui, vt inimico parcas, reſpondeas effrons: hoc non conuenit honori meo. Et viuens ſub lege Euangelica, erubeſcas ea agere, quæ per illam tibi mandat Deus, ac ſeruare ea, quæ tibi tam clarè præcipit: *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros.*

37 ☞ Intendit Theodoretus reſpondere Gentilium obiectionibus contra legem Euangelicam, & in hunc finem decem doctiſſimos libros compoſuit, quos inſcripſit: *De veritate fidei, ſeu de curandis Græcorum affectionibus* In quibus legis Euangelicæ demonſtrat prærogatiuas, & I. 9. vnam proſequitur: tam efficacem, vt toto orbe publicata, omnes deſtruxerit leges ſancitas à tantis viris,

viris, tam variis ritibus & ceremoniis prout erant, radicitus infixæ in cordibus Gentilium, ex quo Gentium idololatria eſſe cœpit, ſecundùm diuerſos Deos, quos vnaquæque natio ſibi ſtatuerat adorandos. In huius rei confirmationem adducit id, quod Spiritus S. narrat de virga Moyſi, & hoc ipſum annotauit S. Proſper Aquitanus. Ingreditur Moyſes ex diuino præcepto Ægyptum, conuenit Pharaonem; vt ei quod prætendebat, perſuadeat. Proiicit virgam ſuam in terram, & ecce mutatur in ſerpentem, citat Pharao magos ſuos, qui ſimiliter virgas proiecêrunt in terram, quæ verſæ ſunt in colubros tam immanes, vt virgam Moyſi deuorare velle viderentur, ſed contrarium accidit: nam *deuorauit virga Aaron virgas eorum*. Ita vt ne illarum quidem vllæ ſupereſſent reliquiæ, Vocat illas, virgas: non quia virgæ eſſent, cum iam eſſent colubri (ait D. Aug.) ſed quia virgæ fuerunt: eodem modo quo Ven. Sacramentum communiter vocatur panis: non quòd ſit panis, ſed quia panis fuit. Magnum arcanum (ait Rupert. Magorum ſerpentes deuorari, qui Moyſi virgam deuorare debuerant. *Deuorari ergo, & non deuorare potuerunt, quæ deuoratrices eſſe videbantur.* Aſſumunt Theodoret. & D. Proſper hoc verbum (*deuorauit*) quod ſignificat eo modo Magorum virgas, à Moyſi virga deuoratas iam verſas in ſerpentes, vt nihil earum ſuperfuerit; contriuit, comminuit & planè omninò deuorauit. Magnum hoc miraculum, ſed aliud longè maius myſterium vult nobis Deus intimari. Virga Moyſi legem ſignat Euangelicam, quâ vniuerſalis Paſtor ſuas regit ouiculas: vertitur in ſerpentem, ſymbolum ſapientiæ: hæc enim lex digeſta eſt per ipſam Dei ſapientiam Chriſtum, & in ſe omnem Dei comprehendit ſapientiam. Proiecta eſt in terram, per mundum prædicata: in hanc ſurrexerunt Magorum Ægypti virgæ, id eſt, ſapientiam, totius mundi leges verſæ in ſerpentes, ſapientiâ terrenâ compoſitæ: hæ omnes Euangelicam virgam videbantur deuoratură, *Deuoratrices eſſe videbantur.*

VIII. Allegoria de virga Moyſi. Exod. 7.12. Lib. qq in Exo. q.21. Rup.

O Domine, quis credat, pauperes piſcatores, potentiam & mundi ſapientiam deuoraturos? Quis capiat, hos abiectos & indoctos ſapientiam terræ, intellectum mentemque conuicturos vt eis perſuadeant ab hominum opinionibus tam aliena? Cui vnquam venit in mentem paupercuolos, ignaros terræ potentiſſimos eò adducturos, vt hominem quendam adorarent crucifixum? *Quis credidit auditui noſtro?* ait Iſaias. Verumtamen ô Dei virga: in qua latet Dei virtus: *Euangelium virtus Dei eſt in ſalutem omni credenti.* Proiecta eſt in terram, per orbem prædicata, aggreditur Gentilium leges, ceremonias, ritus: oppugnat conſuetudines, templa, feſta, ſacrificia; omnia hæc deuorauit: quia eo modo ea omnia deperdidit, vt nihil eorum reliqui ſuperſit. *Vbi Sapiens? vbi ſcriba? vbi conquiſitor huius ſæculi? nonne ſtultam fecit Deus ſapientiam huius mundi?* Clamat Apoſtolus. Quò tot & tam varia euanuerunt idóla? quo abierunt, tot ſtatuæ, imagines Deorum Dearumque? Vbi modo templa, vbi cerimoniæ, vbi aræ, vbi ſacrificia, vbi Sacerdotes, vbi tot & tam diuerſa feſta? In fumum abierunt. Vbi feliciſſimi illi habiti, qui in Deorum cultum maiori ſanguinem profluxu Deorum ſacrilegas aras intinxerunt? Deuorauit eos legis Euangelicæ prædicatio, quæ deſcendit de monte Sion, vbi cœnaculum erat, in quo congregati reſidebant Apoſtoli, quo die ſuper eos deſcendit Spiritus ſanctus. Ex hoc illi prodierunt, ex hoc prodiit Euangelij prædicatio, qua Chriſtus per totum longè lateque mundum ab omnibus adoratur, deuorantur gentium idóla, & eorum Chriſto contrariæ leges abrogantur.

IX. Leges Euangelij mundi ſcita euerterunt. Iſa. 53. 1. Rom. 1. 16. 1. Cor. 1. 20.

## § 10. *Confundit Dauid eos qui vindictæ leges ſectantur, Iob imitare & corona te hoc libro, & equi collo circumda hinnitum.*

CONſiderat D. Greg. Nyſſen. Frater D. Baſilij magni quòd non ſuſtinens Dauid talem impudentiam, pſalmum compoſuit quinquageſimum ſeptimum, tales reprehendens & conuincens: *Reprehendentis in morem clamat, & vociferatur.* Probat vero hoc, perpendens huius pſalmi titulum, de quo poſtea. Videtur Propheta Regius nos audire, vos, inquam, qui titulo Chriſtianitatis gloriamini. qui hunc honoris gradum ſupremum ducitis, eſſe Chriſtianos & quidem ſeniores: qui vobis arrogatis viuere in lege Chriſti, & eum vt Dominum veſtrum, legiſlatorem veſtrum recognoſcere, qui contradicentem confodereris. Audit vos Dauid & quærit. Adeſto amice: Hoc quod ais, an verum ſit, an falſum? An hoc intus ita ſentis, an verò ſolum oretenus ita proloqueris? Iam percipio, quid mihi reſpondeas, me tibi hac interrogatione detrahere: cum certo certius ſit, te hoc dicere corde, & ore, in rei veritate. Siccine? Iudicare ergo & cenſuram dare debes huic conformem, & correſpondentem. *Si verè vtique*

38 Tract. 2. in Pſ. 15. Pſ. 57. 2.

Pſ. 57. 1. *iuſtitiam loquimini, recta iudicate filij hominum.*
Attende hoc verbum (*iuſtitia*) quod ſignat Chri-
a Pſ. 71. 7. ſtum; ſic enim à Prophetis intitulatur. a. *Iuſti-*
b Iſa. 46. 13. *tia orietur.* b. *Propè feci iuſtitiam meam.* c *Propè*
*eſt iuſtitia mea, vt reueletur.* d. *Factus eſt nobis à*
c Iſai. 56. 13. *Deo ſapientia & iuſtitia.* Etiam deſignat legem
eius Euangelicam, per quam obtinemus veram
d 1. Cor. 1. 30. iuſtitiam, quam lex vetus dare non potuit, ſic
ex profeſſo probat D. Paulus. Audio (ait) te dicentem: Deo gratias, qui me præ Iudæis promouit, habeo vnde queam gloriari magis ego ſolus, quàm cæteri omnes: quia me veteris legis iugo non ſubiecit, quæ ſubditos & onerabat, & fatigabat, nec tamen iuſtificabat, ſed ſuauiſſimum legis ſuæ Euangelicæ mihi iugum impoſuit. Hæc mea gloria, & hinc exulto hac in fide, hac in lege me viuere ſubditum. Eia, inquit Dauid, an hoc ſyncerè dixeritis? Vide, ſis in eo conſtans, & ſententiam feras his conſentaneam. Dicito mihi, num ita facis? Hinc tuam conuinco impudentiam, ex eo quòd non tantùm ita non iudicas, ſed omninò oppoſitum. *Etenim in corde iniquitates operamini in terra, iniuſtitias manus veſtræ concinnant.* Aduerbium illud (*etenim*) in Hebraico idem eſt ac (*attamen*) q. d. Sic eſt. quòd ore hoc loquaris, attamen video te contrarium in corde ſentire, & in manuum tuarum operibus, qui velut homo viuens in terra, non aliud tractas quàm de terra, *in corde iniquitates operamini.* Hoc manifeſtum facis odiis, rancoribus, inimicitiis, quas corde tuo foues iracundus, dum dicis: quomodo ego tale perferam verbum, quod talis mihi improperauit? Quid ni eum perſequar ob illatam mihi à blaterone iniuriam. Hæc, abſolutè vocat iniquitates, quia ſunt peccata maioris notæ, quæ Reginam virtutum, nempe charitatem deſtruunt. Perpende & hoc verbum (*concinnant*) quod D. Hier. transfert (*appendunt*) quod ſignificat in pondere librare: q. d. Appendunt manus veſtræ in bilance, vt iniquitatibus ſuis & iniuſtitiis quærant obuolucrum.

Proponit ſibi ob oculos Dauid, idquod agis, quando te quiſpiam genuino dente momordit; ſtatêram attollis: in vna bilance adeſt Chriſtus, qui tibi præcipit: *Diligite inimicos veſtros; benefacite his qui oderunt vos,* memento te eſſe Chriſtianum, cuius honor ſit ignoſcere delinquenti, & ipſe fateris, cum tibi ſupremum gradum æſtimari honoris Chriſtianum eſſe, Chriſtianum in lege Euangelica viuere. In altera verò, lex eſt mundi, ſtatutum duelli, quod docet, maculam honori tuo adſpergi, ſi eum incolumem dimittas, qui te maledicâ ſua lingua vulnerauit, nec alapa ei reſpondeas, qui tibi dixerit: mentiris; & acrioribus verbis lancinauit. Dic mihi ad quid manum mittis? quid eligis faciendum? an non manum mittis & eligis faciendam iniquitatem? Non concludis te obligari, vt famæ tuæ conſulas? Et tu Chriſtianus es? Tu, qui te Chriſti diſcipulum iactabas? Tu, cuius ſupremus nominis apex, erat lex Dei. Non es niſi Satanæ filius, cum eius ſequares deſideria, ſicut
Chriſtus dixit *Vos ex patre diabolo eſtis, & deſide-* Ioan. 8.
*ria patris veſtri vultis facere.* 44.

Hæc coniunctio (*Et*) habet vim cauſſalis. q. d. qui vexillum ſequitur diaboli, & gloriatur ea facere: quæ iubet, filius eſt diaboli: Non (inquit Dauid) filij Dei, ſed Adæ & Euæ, patrum terrenorum. *Filij hominum*, qui ſicut illi. Dei veritatem relinquitis, quam ipſe ore proprio vobis prædicauit, & conſilium initis, vt dæmonum mendaciis fidem adhibeatis, quæ vobis fallax mundus proponit. Fierine poteſt verbis vos gloriari de Chriſtiana dignitate, & tamen vobis infamiæ ducere, opera Chriſtiani exercere? quis vidit vnquam tale? ſi verè dixeris, tibi decori eſſe & honori viuere ſub lege Euangelica: ſic etiam fer ſententiam: *Si verè vtique iuſtitiam loquimini, recta iudicate filij hominum.* Adeſto modo, qui dicis, qui fers ſententiam te dedecere, iniuriam remittere, & patienter calumnias tolerare: quomodo quis poteſt iudicare hoc ita eſſe, qui ſole clarius dicit contrarium.

Hæc paucis verbis deſcripſit Iob, iuxta ſen-
tentiam D. Greg. licet arduis, & myſterio ple- D. Greg.
niſſimis. *Quis mihi tribuat adiutorem?* ita legit Lib. 22.
D. Gregor, quod noſtra vulgata habet: *Audito-* Mor. c. 18
*rem vt deſiderium meum audiat Omnipotens* Quis & ſeq.
mihi aliquem procuret interceſſorem, qui me Iob. 31. 35.
apud Deum adiuuet, vt petitionem concedat liberalis. Quæ eſt iſta tua petitio, ô Iob? *Et librum ſcribat ipſe qui iudicat.* Vt ipſe Deus mihi det librum ſcriptum, quaſi firmam conſtitutionem ſeu legem eius, quod teneor facere. Peruersè de rebus iudicat mundus: dicit bonum malum, & malum bonum: vtile nociuum, & nociuum vtile: quod honorificum, ignominioſum, & ignominioſum, honorificum. O ſi Deus ipſe iudex incorruptus, daret mihi librum, ordinationem omnium, quæ ſecura poſſim ſequi conſcientia: *Librum ſcribat ipſe, qui iudicat.* Poſtulat (ait D. Gregor.) Dei aduentum in hunc mundum, qui det nobis librum illum pretioſum & tutum Sancti Euangelij. Quid faceres cum illo libro ô Iob? Tria. Primum; *vt in humero meo portem illum.* Secundum; *Circumdem quaſi*

coronam

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*coronam mihi.* Tertium ; *Et per ſingulos gradus meos pronuntiabo illum.* Prodigioſa verba. Primum ; *Vt in humero meo portem illum*; hoc tibi agendum eſt de lege Euangelica, in humero tuo porta illum, viue iuxta eius præſcripta, & adimple illa, quæ tibi dixit ille, qui eam tibi præſcripſit. *Tollite iugum meum ſuper vos.* Lex eſt, cuius præcipuum caput prædicationis, eſt crux: *Tollat crucem ſuam quotidiè.* Secundum : Legem hanc, quam humero tuo portaſti quaſi capitis tui fulgentiſſimam coronam circumdes, id eſt, hoc ſit honor tuus, hoc ſit gloria tua, hoc ſit fama tua, dicere te Chriſtianum, profiteri te velle viuere iuxta Chriſti Sanctum Euangel.u.n. O Chriſtiane, quid ad hæc: Optimè noui, te hoc ore proferre, verumtamen velim mihi hoc operibus tuis etiam dixeris Quid ad hæc! an tibi hoc ſummo decori & famæ ducis opere implere quod tibi lex præſcribit Euangelica ? Reſpondeant ad hæc Monomachiæ & auctores, & ſectatores : *Circumdabo quaſi coronam mihi.* Nota pronomen *mihi* : qui de Chriſtiano nomine mihi complaceo, qui cognoſco, & confiteor, quòd Deus me per piiſſimam miſericordiam ſuam fidei ſuæ luce illuſtrauit, adduxitque in ſuam Eccleſiam.

[*Matt. 11. 28. Luc. 9. 23.*]

Tandem *per ſingulos gradus meos pronuntiabo illum.* In cælum per multos gradus aſcenditur, qui nobis inſinuantur per multiplices illos gradus, quibus aſcendebatur ad templum Salomonis, & per illos quibus ad thronum eius aſcenſus erat; vbi ex vtraque parte leones adſtabant. Vt in cælum ſcandamus, multi ſunt virtutum gradus, ſed difficiles. Fides, ſpes, temperantia, ieiunium, diſciplina, mortificatio, dilectio inimicorum, iniuriarum remiſſio, quorum graduum aliquos enumerat. D. Pet. *Curam omnem ſubinferentes, miniſtrate in ſide veſtra virtutem, in virtute autem ſcientiam, in ſcientia autem abſtinentiam, in abſtinentia patientiam, in patientia pietatem, in pietate amorem fraternitatis, in amore fraternitatis charitatem.* O Domine, quàm difficiles ſunt hi gradus, ad ſcandendum ; adſtant & ſæui leones, qui aſcendentibus terrorem incutiant. Diabolus ſuis terriculamentis, caro ſuis ſuſpicionibus, clamoribus ſuis mundus, vnus hinc mihi ſuggerit, quomodo hoc mihi faciendum cum ſit contrarium ſanitati; alter inde, ne feceris : obſtat quieti tuæ : alij ſicut alij cedit in tui honoris detrimentum. Ad hoc igitur (ait Iob) per ſingulos gradus ſcandens dicam : hoc mihi Deus ſtatuit faciendum, *annuntiabo illum.* An me Deus decipiet ? An mihi pro bonis mala perſuadebit ? An mihi rem proponet maximè glorioſam, quæ me notet infamiâ ? An ei, quod Deus proprio mihi ore decernit, poteſt ſubeſſe malum, poteſt ſubeſſe damnum, ſubeſſe poteſt infamia ? Tu iudica, num ſit ſufficiens reſponſio, tu ferto ſententiam, num obiectionibus diaboli, mundi & carnis abundè ſatisfaciat.

[*2. Pet. 1.*]

Videtur his verbis Iob alludere Dauid in initio ſui Pſalterij: & licet ita ſit, quod tot Philoſophi noluerunt decernere ; poſſe aliquem in hac vita vocari abſolutè beatum, ipſe tamen Dauid beatum illum canonizat, qui liber viuit à peccatis, qui in his vitæ variis ſucceſſibus omninò Dei inſequitur legem, & hoc eſt, ait D. Ambr. quod ſecundum verſionem Aquilæ Dauid his verbis intendebat. *Beatus vir, qui non abiit &c. Sed in lege Domini voluntas eius, & in lege eius reſonabit die ac nocte.* Expendit D. Ambroſ. hoc verbum : *Reſonabit die ac nocte.* Hoc eſt in proſperis & aduerſis, in beneficiis quæ ab amicis recipit, & in iniuriis, quibus ab inimicis confoditur. Hic aptè concurrunt verba, quæ Deus locutus eſt Iob, & neruosè declarantur à D. Greg. de equo generoſo & nobili : cuius Deus collum adſtringit, & proprio ceruicem alligat hinnitu. *Numquid præbebis equo fortitudinem, & circumdabis collo eius hinnitum ?* De quibus vide.

[*D. Ambr. In Pſ. 1. to. 2. Pſ. 1. 2. — In c. 39. Iob 39. 19. — Tract. 5. n. 166.*]

## §. II. *Summo ſibi Deus deputat honori, remittere iniurias, quem ſancti imitantur.*

HIs manibus & pedibus conſtringeris, ſi mentem tuam ad eos deflexeris, qui præ 41
cæteris in mundo ad ſummos honores ſunt euecti. Rationem hanc proſequitur D. Chryſ. a. nos quoque b. & optimè mundi iudicio conuenit. Inter duelli ſcriptas leges : vna legitur fundamentalis, vt quis ſibi & honori ſuo plenè dicat ſatisfactum, & omnibus pateat, cum tali contumeliâ ſuffic: ntet exoneratum, hoc illuſtrium Centurionum iudicio decidendum ſinunt, ſeniorum & nobilium eorum qui iuſtè norunt ex vtraque parte appendere & contumeliam & ſatisfactionem. Hoc igitur velim facias, & ſuppono rationem quandam D. Greg. Nyſſ. Prouidit nobis auctor naturæ ſcilicet oculos & faciem, hæc enim minus præ cæteris in nobis videmus, num malè, num benè, num ſani coloris, vel non ; ſine macula, vel fuligine. Ad hæc omnia conflantur, ſpecula : in quibus vnuſquiſque dilucidè & diſtinctè faciem ſuam intuetur, ſi hoc bene conueniat, & illud, ſi color huic

[*a Hom. 62. ad pop. b Tract. 4. p. 4. §. 27. vſque 33. — Orat. de de dormient. 1. Speculo cum quis vſus ?*]

huic quadret, ſi ſuperuacaneum quid &c. Ha-
bent plerumque homines lynceos oculos, qui-
bus aliena detegant vitia; ſed ſui vultus, nequa-
quam: mantica à tergo. Quiſque in propria
cauſſa inidoneus iudex, vtpote quem propria
obcæcat paſſio, & intellectus trahit volunta-
tem; ad hoc vtimur ſpeculis vt videamus, num
aliquid ſit bonum, an malum, ſit honorificum,
ſit ignominioſum.

*Hom.* 62. Proponite oculis veſtris (ait D. Chryſoſt.)
*cit. Sap.* 7. ſupremum ſpeculum, *Speculum ſine macula*,
26. quam nec poteſt quidem contrahere, Deum
noſtrum. Indubium eſt neminem melius noſſe
quid ſit honor, ipſo Deo, & eâdem ratione ne-
mo illo honoris ſui auidior: cuius illa vox eſt.
*Iſa* 42.8. *Gloriam meam alteri non dabo.* Quoties Moyſes
II. aliquid à Deo volebat impetrare, ſtatim ei pro-
Deus ho- prium ſuum allegabat honorem, gloriam & æ-
noris ſui ſtimationem. Statuerat Deus populum interne-
ſtudioſus. cione delêre idololatram; opponit Moyſes ho-
*Exod.* 32. noris iacturam: *Ne quæſo dicant Ægyptij, callidè*
12. *eduxit eos, vt interficeret in montibus.* Ioſue ve-
*Ioſ.* 7.8. rò, vt Dei iram placaret, ſupplex ait: *Mi Domi-
ne Deus, audient Chananæi, & omnes habitatores
terræ &c. Et quid facies magno nomini tuo?* Qui
tanti facit gloriam ſuam, certum credo, nihil ei
contrarium acturum.

Videamus, quando quiſquam Deum offen-
dit, eius tranſgreditur præcepta: num illicò in
eum conſurgit? num vitam aufert? Minimè:
quinimò expectat, ictum ſuſpendit, beneficiis
2. *Pet.* 3.9 occurrit. *Patienter agit propter vos, nolens peri-
Mat.* 5.45 *re.* Item *Solem ſuum oriri facit ſuper bonos &
malos* &c. Quid agit cum omnium ſceleratiſſi-
mo, qui millies eius legem contempſit? Quo
vultu recepit prodigum, qui omnia ſua bona
dilapidauerat? quàm non benignum ſe latroni
demonſtrauit, qui iuxta quorumdam ſententiam,
paulò antè eum maledictis laceſſiuerat? Quid
egit cum populo ſuo ſeditioſo, qui eum crucifi-
xerat, & ignominioſâ morte condemnârat?
quid tecum agit commiſſis à te tam enormibus
peccatis? Ipſe te nutrit, dat reſpirationem, vi-
tam, diuitias: vocat te, rogat te, præſtolatur
te, blanditur tibi, & aliquoties iis, qui grauio-
ra committunt ſcelera, maiora largitur bene-
*Tract.* 4. *n.* ficia: vt declarauimus. & notat D. Aug. ad illa
172. & verba: *Noli obliuiſci omnes retributiones eius.*
*ſeqq.* Vim huius verbi *Retributiones* perpendens.
*Pſ* 102.2. Non ſibi reputat infamiæ parcere inimicis, &
42 his qui eum offenderunt, benefacere, verumta-
men in eo ſummam ſuam ſtatuit gloriam &
honorem. Ita exponimus verba illa D. Paul.

*Omnes peccauerunt, & egent gloriâ Dei.* Et ea
pariter quæ cantat Eccleſia: *Gratias agimus tibi,* *Rom.* 3.23
*propter magnam gloriam tuam.* Barbarum ſonat;
cum gloriæ Regis alicuius gratias non agamus,
ſed eam admiremur. Gratiæ ſunt propter be-
neficia, proinde, gloria illa, quam Deus reputat
magnam: *Magnam gloriam*; Noſtrum eſt be-
neficium, quod eſt peccata laxare, quibus eius
gloriæ grauiſſimè detrahimus, & nobis ſuam
impertiri gratiam & dona, & hoc eſt magna
Dei gloria, inimicis ignoſcere, iis benefacere,
ad ſuæ miſericordiæ ſinum inuitare, cæleſtes il-
lis offerre diuitias. Hæc eſt illa gloria cuius vi-
dendæ tam cupidus erat Moyſes: dum ait: O-
*ſtende mihi gloriam tuam.* Hæc eſt, inquam, il- *Exod.* 33.
la gloria, quam Apoſtoli prædicarunt, de qui- 18.
bus, vt D. Paulus notat, Dauid præcinit: *Cæli* *Rom.* 10.
*enarrant gloriam Dei*; vt latius egimus. *Pſal.* 18.1.

Si igitur præcipuus honoris titulus, in ocu- *Tract.* 4.
lis Dei, & quo intendit glorioſior, illuſtrior, & *nu.* 180.
celebrior prædicari (ille qui honoris & gloriæ *& ſeqq.*
mare eſt immenſum & abyſſus altiſſima) ſit, ca-
lumniantibus parcere, peccatoribus diuina ſua
dona impertiri, num tibi vile, ô vermis viliſſi-
me, & abiectum, & inhonorum, idem facere
videbitur? Porrò, quid hoc audio (ait D. Chry-
ſoſt.) quid ais ô homo vaniſſime. Domine non *Hom.* 62.
tanti hoc eſt, Deum parcere peccatoribus, cum, *cit.*
quantumuis grauiter quis eum offendat, perſo-
nam eius non lædat, nec eum tangat pugionis
ictus, nec pugnus, nec flagrum, nec quidquam
ei vel minimum auferat: hoc autem ait Eliu a- *Iob* 35.6.
pud Iob: *Si peccaueris, quid ei nocebis? Homini qui
ſimilis eſt tibi, nocebit malitia tua.* Et Dauid:
*Altiſſimum poſuiſti refugium tuum: non accedet* *Pſal.* 90.9
*ad te malum, & flagellum non appropinquabit ta-
bernaculo tuo.* Sed nec paſſionibus mouetur
Deus, nec ei circa cor ſanguis incaleſcit, nec
eum affectus prouocat in hoſtem ſuum; meus ve-
rò me affligit affectus, tangit faciem meam ma-
nus inimici, me percuſſio lædit, bonis meis no-
cet; inſuper totus peruerſis ardeo paſſionibus, hæ
mihi calcar inſigunt, ac proinde, quid miraris;
quid tanti eſt, quod ſequi non poſſim nec id
quod facit Deus imitari?

Videtur huic propoſito conuenire id, quod *Eccl.* 2.12.
Spiritus ſanctus ait: *Quid eſt homo, vt ſequi* III.
*poſſit Regem factorem ſuum?* Duo tibi reſpondeo. Obiectio
Primum te à veritate aberrare: quia licet ita ſit, ſoluitur.
loquendo de Deo in propria diuina natura, ſe-
cundum quam ei nullum nocere poteſt damnum,
verum enim vero fide tuâ noſti, eum humanam
aſſumpſiſſe naturam, & per hanc intulerunt ei

mole-

moleſtiam tormenta, verbera, alapæ, vulnera, nuditas, nec vlla erat perſona, quæ tanta pateretur ab iis qui illam offendebant, ſicut Deus, (Iſa. 53. 3.) quem propriè vocat Iſaias: *Virum dolorum.* Quaſi diceret, talis ipſe erat, ſuper quem omnes dolorum, & pœnarum fluctus induxerunt, quem tormentis oppleuerunt & ſicut mare congregatio fuit aquarum; his non obſtantibus, attende & mirare quid fecerit, & hoc primarium inuenies: quòd in eo clariſſimum ſuum ſtatuerit honorem, & ſublimiſſimam gloriam, ſcilicet in remittendo ſibi illatas calumnias, opprobria, blaſphemias; & quò erant & grauiora & acerbiora, eò magis eius elucebat miſericordia: hinc prorupit vox (Luc. 23. 34.) eius ad Patrem ex cruce: *Pater dimitte illis.* Et eo, quo ſurrexit momento, miſit ſalutatum domis ſuis & in oſculo pacis eos ipſos, qui eum crucifixerant, & occiderant inimici, benignè offerens peccatorum remiſſionem iis, & omnibus, qui eam vellent adipiſci. Hæc eius eſt gloria quam velim meditaremur attentius, de qua, (Pſ. 18. 1.) vt diximus, præcinuerat Dauid: *Cæli enarrant gloriam Dei.*

(D. Aug. in Pſa. 36. in princ. To. 8.) Secundum: vt hunc tibi Deus prætextum tolleret, ſpecula obiecit oculis tuis, homines ſimiles tui, ex eadem maſſa, iiſdem paſſionibus intricatos: hanc rationem proſequitur. D. Aug. *Fecit Chriſtus quod docuit, fecerunt & Apoſtoli, quod ab illo didicerunt, & nobis faciendum prædicauerunt; faciamus & nos: quia etſi non ſumus, quod ille, ſecundum id quod creauit nos, quod ille tamen, ſumus, ſecundum id quod factum eſt propter nos. Et ſi ſolum feciſſet forte nemo noſtrum deberet audere imitari. Ita enim ille homo erat, vt Deus eſſet. Sed in eo quod homo erat, imitati ſunt ſerui Dominum & diſcipuli magiſtrum, & fecerunt, qui nos præceſſerunt in familia eius, patres quidem noſtri, ſed tamen conſerui noſtri Neque imperaret hoc Deus vt faceremus ſi impoſſibile eſſe iudicaret, vt hoc ab homine fieret.* Chriſtus vt Dominus & Magiſter: Apoſtoli Sancti, vt diſcipuli & ſerui ipſius, & Sancti qui illis ſucceſſerunt, primo fecerunt, quod nos docuerant, vt doctrinam exemplo ſuo facilitando, cognoſceremus in ipſa executione, quâ ipſi nos præierunt, quod & nosipſi eos ſine vlla difficultate poſſimus imitari, Et cũ ipſi, ſine vllo honoris ſeu famæ detrimento vel contemptu tam præcisè præceptum hoc impleuerint (quinimò ad ſummum honoris gradum ſint euecti) ſanè plus æquo eſt, nos ſine vlla dedecoris ſuſpicione ea executioni mandare.

13. 43 Illos, quæſo, contemplare, illos attende, num infames fuerint patienter ferendo iniurias, dimittendo inimicis, ſurdâ aure pertranſeundo calumnias, orando pro perſequentibus, duplicia retribuendo beneficia grauia inferentibus ſibi damna, alteram maxillam percutienti offerendo, maledicentibus benedicendo? Minimè gentium. (IV. Exempla eorum qui Deũ ſunt imitati.) Contemplare Sanctum Ioſeph: Quis vnquam ei vituperio dedit, quòd fratres ſibi maximè infenſos placido exceperit vultu, tot beneficiis cumulauerit, tot honoribus auxerit, tot opibus ditârit, qui eum tam inuido exceperant corde, tot calumniis attriuerant, in tam infamem ſeruitutem vendiderant, paternâ bonorum ſucceſſione defraudârant? Sapiens nemo. Quis mortalium Moyſen deſpexit; eo quòd pro populo preces ad Deum fuderit, qui eum lapidibus obruere feſtinabat? Prudens nemo. Num S. Stephanum, vt vilem & infamem reſpuis, eo quod poſitis genibus pro lapidantibus Iudæis hanc emiſerit ad Chriſtum orationem: *Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum.* Num D. Cyprianum abiecti cordis & puſillanimitatis condemnas, quando ducentos ducatos carnifici dari præcepit? Num D. (Act. 7. 57.) Chriſtophorum infamiæ notam contraxiſſe accuſas, dum percutienti ſibi maxillam reſpondit: Deo dic gratias: quia Chriſtianus ſum? Num Sanctos Martyres, vt probroſos & hominum conuerſatione indignos repellis, dum eorum acta perluſtras, & eos ouium manſuetudine contra tortores & tyrannos, præfulſiſſe admiraris? hæc erat eorum virtus primiceria: taciturnitas, patientia, cordiſque depreſſio.

Hoc argumento nullum efficacius, quo D. Iacobus patientiam in opprobriis & aduerſis (Iacob 5. 8.) perſuadet efficaciter: *Patientes eſtote & vos, & confirmate corda veſtra* &c. Chariſſimi, patientia; quando lædimini: *Confortate corda veſtra*, quando inſtant inimici, vt eam perdat s: *Nolite ingemiſcere in alterutrum, fratres*: Suſtinete, perferte: *Exemplum accipite, fratres, exitus mali, laboris & patientiæ. Prophetas qui locuti ſunt in nomine Domini: Ecce beatificamus eos, qui ſuſtinuerunt.* Conſidera viros Sanctos, & certo ſententiam, num malè egerint, parcendo calumniatoribus: tu iudica, ſi in eo ſe terræ filios & abiectos oſtenderint. Num melius aliquid tibi videtur? Num aliquid extollis magis? Num aliquid plus admiraris?

Si igitur eos tu ore proprio, vt felices, honoratos, magnanimos, & omni lauro digniſſimos deprædicas: quia conuitia pertulerunt; quia inimicis pepercerunt: quia pro persecutoribus preces fuderunt: qua tu fronte audebis dicere, id tibi fore ignauiæ percutienti maxillam non

reſpondere? Eius tibi exemplum propone: *Exemplum accipite fratres patientiæ, Prophetas* &c. *Ecce beatificamus eos* &c. Energiæ verbum eſt (*Ecce*) q. d. Oculos aperi & mente conſidera, id quod in eis extollis, vt quid ſummæ gloriæ, & omni beatitudine digniſſimum. Hi ipſi Sancti vos in Dei iudicio huius reos proclamabunt, quod proprio iudicio, vt rectum, approbaſtis. *Ecce beatificamus eos* Quia illud ipſum, quod eis fuiſſe materiam, & cauſſam honoris dicitis, tanquam ignominiam & infamiam proſcinditis. Hinc capimus, quid Dauid voluerit indicare his

Pſ. 149. 5. verbis: *Exultabunt Sancti in gloria* &c. Loquitur de extremo iudicio, in quo ſtatu manet Dei Sanctos gloria & honor, qui in hoc vitæ ordine in lachrymis & ignominiis ſeminarunt. Apparebunt glorioſi viſi in Maieſtate, vt Christo aſſideant iudices, & actum illum tremendi iudicij condemnando peccatores, ſolemniſent. *Vt faciant iudicium conſcriptum.* Et quomodo venient? *Gladij ancipites in manibus eorum.* Armati catenis, craticulis, manicis ferreis, compedibus, & pœnarum inſtrumentis. *Ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis.* Quid hoc, quòd ſecum tot trahent inſtrumenta? Num ipſi aliquos craticulis torſerunt, & compedibus adſtrinxerunt? Num gladiis occiderunt inimicos? Ne quid ſimile ſuſpiceris. Non enim his inſtrumentis alios cruciarunt, ſed his ab aliis mortem pœnaſque pertulerunt. Catenas trahent, quibus eos Tyranni adſtrinxerunt, manicas, quibus manus compreſſerunt, craticulas quibus eos viuos torſerunt, gladios quibus eorum capita diſſciderunt: & his ornati contra eos ferent ſententiam; & quidem iuſtè: quia illa ipſa, quæ in illis vt triumphos & trophæa celebras, tu ipſe vt infamiæ ſtigmata, & dedecoris notas ſignaque condemnas.

V. Sancti cur in iudicio manibus gladios gerent ancipites.
Pſ. 149. 6.

## §. 12. *Viri Sancti ex remiſſis iniuriis cudunt ſibi ſcuta armorum ad ſui gloriam.*

44.
Loc. cit.

IVſtâ ſtatera librat D. Chryſoſt. id quod ſuperius retulimus de Dauid: cui, abſit vt dedecori quis vnquam vertat, Sauli perſecutori acerbiſſimo ignoſcere, orare pro calumniatore, ſeruare vitam eius qui ei necem intendebat, quin potius nihil ſibi duxit glorioſius, celebrius, & in quo pedem fixit ad ſui honorem firmius, & ex quo ſumpſit, & illuſtriora ſibi cudit inſignia. Ad rem notat D. Gregor. Nyſſen. enodans pſalmorum titulos myſteriis fertiles: & inter hos præcipuè tres, in quibus ſuauiſſima harmoniâ decantat id, quod inter ſe & Saulem ſocerum ſuum accidit: quando ſpirans ſanguinem, & cædem Saul eum perſcrutabatur, vt necem inferret: ipſemet in manus incidit Dauidis vitæ reus, nec tamen eum occidit, quinimò & vitam defendit, & incolumem ſeruauit. His pſalmis, quibus hanc decantat hiſtoriam, titulum præfixit: *In finem, ne diſperdas, Dauid, in tituli inſcriptionem, cum fugeret à facie Saulis in ſpelunca.* Primum hoc verbum: *In finem*, ſic interpretatur, D. Gregor. Hæc eſt celeberrima Dauidis victoria: hic ad ſummum præclariſſimorum facinorum aſcendit. Hic trophæa erexit glorioſiſſima, vltra quæ non datur progreſſus. Hæc vero: *Dauid, in tituli inſcriptionem* ſic exponuntur: Supponimus, Duces inuictos formare ſibi arma ſeu inſignia, ex illuſtrioribus præ cæteris victoriis & facinoribus maximè generoſis, quæ celebrari & decantari geſtiunt in æternum & vltra, cui declaratoriam circumſcribunt epigraphen.

Tract. 2. in Pſ. c. 4. & 5.
Pſ. 56. 57. & 58.
1. Reg. 24.

I. Nobilitatis origo à Dauide.

Ex ipſo Dauid familia traxit ſuæ nobilitatis originem, qui ex abiecto ouium paſtore, in Regem euaſit toto orbe celeberrimum, feliciſſimum & piiſſimum. Voluit ſibi inſignia cudere, quibus fama ſua viueret in perpetuas æternitates: neceſſe ergo fuit ea deſumere ex opere cæteris eminentiori, & facinore præclariori: quod ad hoc aſſumet? Vereor ne copia pariat inopiam. Multa enim eius celebrantur præclariſſima facinora, quorum vel minimum ſufficiens erat natalium eius ſplendorem reddere conſpicabilem. Num fortè manus ſuæ digitis diſcerptos exhibebit leones? Hoc enim ſæpius iterauit. An vrſos præfocatos tortis capitibus demonſtrabit? Hoc etiam ei, amico Deo, dum paſtoritium ageret, ſucceſſit. Num fortaſſe gigantem illum, carneam turrim, pedibus ſuis proſtratum depinget? aut immane caput petrâ fronti inhærente: aut fundam & lapidem? Negabit nemo, quin hæc facinora fuerint ita præclara, vt minimum eorum tenebras offundat actibus illuſtrioribus Cæſarum Romanorum, Scipionum, Carthaginenſium, Vlyſſis, Græcorum; Æneæ, Troianorum, & Auguſtorum Latinorum. Ex his inſignia non deſumpſit: horum enim nullum, ei primos honores conciliauit, aut peperit gloriam nulli ſecundam. Quod igitur hoc fuit? Hoc eius iudicio primum omnium facinus, hanc ego eius primipilam celebro victoriam, quam obtinuit *in ſpelunca*: dum eum ſocer ſuus Saul Rex vt lupus

ceruarius ſeu lynx inſequitur, tigride ferocior,
inhians cædi eius, mille calomniis conuitians,
ſed deluſus: incidit enim inexſpectatò in generi
ſui Dauidis poteſtatem, vt in eum facere poſſet
quidquid liberet; & eum iure merito, & ſaluâ
conſcientiâ, eum, vt regni perduellem confode-
re potuiſſet: abſtinuit tamen, damnum non in-
tulit, opprobriis non laceſſiuit, ſed defendit, ſed
propugnauit, ſed vitæ eius pepercit, & illi vt
propriæ proſpexit: vt ſuperius diximus. *In finem.*
q. d. Huc vſque proceſſit Dauidis magnanimi-
tas: hoc vltimum eius fuit victoriæ: hoc, cui
aptè adſcribere poſſumus: *Non plus vltra*, in Da-
uidis operibus. Hæc eum victoria multis imagi-
nibus nobiliſſimum reddidit, hac ſua victoria fa-
miliam ſuam clariſſimo ſtemmate donauit: hanc
ei nemo palmam abſtulerit: *Ne diſperdas.* Hinc
ſtemmata confixit, hinc triumphos celebrauit,
huic ſymbolum inſcripſit: *In tituli inſcriptio-
nem.* Ad æternam ſuam gloriam & famam, de
traditore, & crudeliſſimo inimico, non deui-
cto, non in fugam verſo, non confoſſo, ſed
ſeruato, ſed dilecto, ſed reconciliato, ſed bene-
ficiis affecto.

45 Etſi rem attentiùs conſideres: praxis eſt hæc
quotidiana virorum maximè illuſtrium, quos
coluit mundus, vt ſtemmata, de quibus ſibi ſcuta
componunt, in ſui nominis non perituram me-
moriam, deſumant ex inuicta patientia, qua, vt
elingues, pertulerunt opprobria, vt muti calum-
nias ſuſtinuerunt, quibus mitiores. Princeps A-
II. poſtolorum D. Petrus pro ſtemmate gerit cru-
Scuta cem, non in qua hoſtem ſuſpendit, ſed in qua
Sancto- ipſe capite inuerſo crucifixus occubuit. D. Pau-
rum no- lus (vt notat D. Chryſoſt.) acerbiores paſſus in-
biliſſima. iurias exhibet ferreas catenas: non quibus per-
ſecutores conſtrinxit, ſed quibus vinctus ille
Gal. 6. 17. gloriabatur: *Nemo mihi moleſtus ſit: ego enim ſtig-
mata Domini Ieſu in corpore meo porto.* En gla-
dium manu portat *in tituli inſcriptionem*, non
quo perſecutores deiecit, ſed quo ipſe, vt agnus
ad occiſionem ductus, & non aperiens os ſuum,
inclinato capite martyrio coronatus eſt. D. Mat-
thæus lanceam attollit, non quâ inſequentem
perfôdit, ſed quâ ipſe ab aliis, quibus benefece-
rat percuſſus interiit. D. Stephanus lapides con-
glomerat, non quibus Phariſæos appetiit; ſed
quos gaudens ſuſcepit ab eorum manibus, pro
quibus genibus flexis Dominum deprecabatur.
Sanctus Laurentius craticulam oſtentat, non
quâ quempiam torquere præſumpſit inimicus,
ſed quâ crudeliter aſſatus tyrannum deuicit glo-
rioſus. S. Apollonia dentes oſtendit, non alieno
ore euulſos, ſed quos ipſa patiens pertulit ſibi e-
uelli &c. Denique omnia concludens tu Domine
mi, cæli & terræ gloria, primogenitus æterni-
tatis: Tu cui ſoli honor & gloria (acclamante
D. Paulo.) quæ ſtemmata ſumis, quæ extollis
inſignia, quæ ſupremis tuis palatijs præfigan-
tur, regijs fortalitijs, ſummis turribus, theſauro-
rum tuorum ſcriniis, tuarum ciſtis diuitiarum?

Crucem vnam, quâ ſuſpenſus vitam meam
profudi, in eorum ſalutem, qui mihi eam adime-
bant: flagella, quæ mihi carnes dilacerabant, in
eorum remedium, qui me flagellis cædebant:
clauos ternos, qui mihi manus & pedes tranſfixe-
runt, in eorum beneficium, qui mihi foderunt
manus & pedes. *Signum filij hominis.* Hoc eſt e- Matt. 24.
ius trophæum victoriæ & honoris, & diem il- 30.
lum, quo hoc erexit ſignum, vocauit Dauid diem
virtutis, diem, quo eius honor clariſſimè præful-
ſit: *In die virtutis tuæ, in ſplendoribus ſancto-* Pſ. 109. 3.
*rum.* Et hic ille dies eſt, in quo ſuam gloriam re- Ioan. c. 1.
uelauit: de qua dicit D. Ioannes: & *vidimus glo-* 14.
*riam eius.* Sicut notauimus: *a.* Siccine res habet, a Tract. c.
ô Chriſtiani? Num fortè hæ meæ ſunt chime- 5. n. 20. &
ræ? opiniones particulares, & imaginariæ? Ne- ſeqq.
quaquam, ſed veritas eſt Catholica, quam, vel
Chriſtianus non es, vel credere teneris certiùs,
quàm id quod oculis intueris. Si hæc igitur totâ
ſecuritate conſideres, & eis non obſtiteris, qui
fieri poteſt, vt dixeris; ſufferre iniuriam, eſt mihi
indecorum, parcere conuitiatoribus & orare pro
perſequentibus, ignominioſum, probroſum.

Quâ ratione iudicas ignominioſum, quod in
lege Euangelica tam glorioſum creditur? Affli-
gebat ſummopere D. Paulum Gentilium cæci-
tas, in quos tantam exercebat diabolus poteſta-
tem; vt ſe huius ſæculi Deum prædicaret & tan-
tas eorum oculis offundebat tenebras, vt Euan-
gelicæ lucis veritatem, ipſo licet ſole clariorem,
non viderent: *Deus huius ſæculi excæcauit mentes* 2. Cor.
*infidelium, vt non fulgeat illis illuminatio Euan-* 4. 4.
*gelij gloriæ Chriſti.* Quis me reprehendat, ſi po-
puli Chriſtiani deplangam miſerrimam ſortem,
qui recepto Sacro Baptiſmate, & audito Chriſti
Euangelio, nec tandem vident eius gloriam &
claritatem, quæ elucet ſole clarior in amore,
humilitate, manſuetudine & patientia, ſed hu-
ius mundi tenebris mentes eorum obſcurantur,
& ſcriptis Monomachiæ legibus excæcantur &
cum ipſis cæcis illa lux appareat, non eam tamen
vident: & credunt, ignominioſum eſſe, id quod
maximè honorificum & glorioſum prædicatur.

*§. 13. Lex hæc vtilis eſt, & vindictam ſumere, maius infert damnum vindicati, licet inimicum ſolo proſternat.*

46 SVpereſt vt vltimo vobis exponam, quâ ratione huius præcepti obſeruantia nociua non ſit, ſed immenſis, & ineffabilibus commodis fœcundiſſima: & hoc eſt *bonum vtile.* Hoc ipſa luce lucidius agnoſces, ſi vel paulisper attendas, & paſſiones tuas paululum ſeponas, & choleram, quæ te excæcat, dimittas. Terribile quiddam accidit (teſte Spiritu S.) Tobiæ iuniori. Iter aggreſſus eſt, comite Angelo Raphaele, ſed ſub ſpecie & habitu iuuenis ſplendidi & præcincti ad ambulandum. Vt primùm paululum procedere cœperat, vt erat iuuenis tenerrimus & pedes, oppido laſſus reſedit, quærens itineris refrigerium, acceſſit ad Tigrim celeberrimum fluuium pedes ablaturus. Vix eos aquis tinxerat; *Ecce exiuit piſcis immanis.* Ore expanſo latè hians, tali furore, vt iuuenem hunc intra ventris ſui clauſtra concluſiſſe ſibi videretur. Reſilit attonitus & exanimis Tobias, Angelum inclamat, *Domine inuadit me.* Succurre mihi. Noli timere, fili mi: reſpondet Angelus, animoſus mitte manum, *Apprehende branchiam eius, & trahe eum ad te* &c. *Exentera hunc piſcem.* Et lætaberis, dum videris eum non ſolum tibi nocere non poſſe, ſed iis quæ habet, nihil erit tibi ad vtilitatem præſtantius. Ex eo hauries; quod poſſit mederi cœcitati oculorum patris tui, quo tibi nihil optabilius. Ex hoc depromes tibi vitam & alimentum, quo te incolumen conſerues: Ex hoc ſumes, quo de dæmonio triumphum agas: ſolo enim fumo iecoris piſcis huius, ad extrema quæque diffugiet. Attrahe illum, fili mi, quem ſi exenteraueris, crede mihi, ſub huiusſeritate piſcis, nihil inuenies, præter theſauros opulentos, & fructus vberrimos.

I. Allegoria de piſce Tobiæ. *Tob. 6. 3.*

Iter aggreſſi eſtis, chariſſimi, huius quadrageſimæ initio, cælum verſus, vtinam eo perueniatis. Statim ad Eccleſiam diuertiſtis, ea intentione, vt animæ veſtræ quæratis alleuamentum; & ideo acceſſiſtis ad fluuium, aquas limpidiſſimas, & refrigerantes Sancti Euangelij, quæ per illud deſſuunt. Vix hoc attentaſtis & ecce ex his limpidiſſimis profluuijs, proſilit piſcis Tigride ſæuior: *Ego autem dico vobis? Diligite inimicos veſtros: benefacite iis, qui oderunt vos* &c. O quem tibi terrorem incutit! & credis actum de vita tua, de honore tuo, de bonis tuis, ſic vt nihil tibi ſuperſit, ita Gentiles obijciebant S. Marcellino, vt in initio retulimus. Eia, chariſſime, licet ex natura Angelus non ſim, officio tamen ſum, cùm de Prædicatoribus, & Doctoribus dicat Propheta: *Angelus Domini eſt*, te adhortor, ſume animos; extrahe illum de paſſionum tuarum & affectuum profundo, extentera eum, & videbis, tantum continere commodi, quantum, crede mihi, nulla res alia: animæ tuæ vitam, oculis tuis gratiæ lucẽ & ſtupendas de diabolo victorias largietur. Vt autem cognoſcas, quòd huius præcepti obedientia nullum tibi pariat detrimentum, ſufficit oculos deflectere & videre eum, qui tibi hoc præcipit. Quis eſt ille? Chriſtus Dominus noſter. *Ego autem dico vobis.* Credisne Chriſtum damnum tuum & perditionem expetere? Cogitasne, quòd deſcenderit de cælis, vt te perdat, vt infamiæ tuæ & infortuniis applaudat? Nihil minus: *Non delectaris in perditionibus noſtris.* Aiebat illa piiſſima, cui optimè nota erat Dei natura.

*Malach. 2. 7.*

*Tob 3. 22.*

Diuinis planè verbis reſponſũ fuit Habacuch Chriſti in mundum aduentum deprecanti: *Apparebit in finem*: Non ait *in fine* ſed *in finem.* Septuaginta tranſtulerunt, *in bonum*: conformiter doctrinæ philoſophorum: *Finis & bonum*, vnum ſunt. Apparebit in mundo ad bonum noſtrum, vitam noſtram, ſalutem noſtram, profectum noſtrum: *Venit dare animam ſuam* &c. *Vt omnis qui credit in ipſum, non pereat.* Hoc ſi credideris, quæ ratio ſuſpicandi, legem Euangelicam ab ipſo datam, in damnum veſtrum futuram? Iam pridem nos per prophetam Iſaiam præmonuerat: *Ego Dominus docens te vtilia.* Quod alii legunt, *quæ ad profectum tuum.* Quis ego ſum, attende. Deus tuus, Pater tuus, amicus tuus, qui te amo, plus quàm tu te ipſum. Quid igitur tibi ſum præcepturus, niſi ea quæ ſunt è re tua. Tanti Deus facit ſeruos ſuos, vt ne capillum eis deperdi patiatur. *Capillus de capite veſtro non peribit.* Et velit ipſe tibi perire vitam, honorem, quietem, bona, ſalutem? Falleris. Quin potius, ſecurus eſto, ait D. Chryſoſt. abſit vt inde tibi damnum aliquod oboriatur, ſed è contra nihil tibi magis pernicioſũ & contra rem tuam, quàm mandatis eius contraire, vltionem expetere, hoſtem perſequi, calumniantes proſternere: ne tibi contingat, id quod api (ait) quæ contra moleſtantem inſurgit, vltionem petit, bili ſuæ ſatisfacit, aculeo pungit, ſed hinc eius maximum detrimentum; alteri enim paruum intulit vulnus, quod fruſto luti curari poteſt, ipſa vero propria effudit viſcera, & vitam perdidit. Hoc illi contingit, qui in exprobrantẽ arma nudat,

*Abac. 2. 3.*

*Matt. 20. 28.*

*Ioan. 3. 16.*

*Iſa. 48. 17.*

II. Deus noſtram quærit vtilitatem, non damnum.

*Luc. 21. 18.*

*Hom. 55 & 65. ad pop.*

nudat, quem ſi percuſſerit, læſerit, calumniatus ſit, vltionem in rebus corporeis ſumens, ipſe animæ vitâ priuatur, quæ in charitate viuit, ita docente D. Ioanne: *Qui non diligit manet in morte.* (1. Ioan. 3. 14.)

Perapte propoſito noſtro, exponit D. Auguſt. Hæc verba Ioannis. *Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt.* (Ioan. 1. 3.) Cuius eſt homicida? Non alterius, quem odit, quem perſequitur: non enim illum occidit, ſed ſuiipſius & animæ ſuæ. Et hoc ex Philoſophia dixit amicus Iob. *Verè ſtultum interficit iracundia*: (Iob 5. 2.) Axioma eſt, cui nemo contradicit, quod proprium hominis cholerici epithetum eſt *ſtultus*. Quia inter illum (vt exponit D. Gregor. *a*) & arreptitium nullum eſt diſcrimen, & confirmatur à prima veritate: *b Qui impatiens eſt, exaltat ſtultitiam ſuam.* Septuaginta legunt: *Impatiens fortis ſtultus.* Congrua iracundi definitio, confirmata à Spiritu S. & à D. Ambroſ. *c* annotata: *Ne ſis velox ad iraſcendum: quia ira in ſinu ſtulti requieſcit. d* Et alio loco: *Fatuus, ſtatim indicat iram ſuam. e* De quibus eleganter D. Gregor. Nyſſenus *f* & D. Baſilius. *g* Dicit igitur amicus Iob: res eſt indubia: vere: qui in conuitiantem inſurgit, & inſtar ſerpentis inimico ſe opponit, ſeipſum perimit, cholera eum confodit: aufert ei vitam animæ.

a L. 5. moral. c. 31.
b Prou. 14. 29.
c Lib. exhortat. ad virg.
d Eccl. 7. 16.
e Prou. 12. 10.
f In poemate de Ira.
g Hom. de Ira.

Contemplatur Spiritus S. Duelli præſcripta ſectantem: qui leonum quid ſpirans contra perſecutorem, iurat, hoc mihi ſoluet, eum confodiam; & ad nos conuerſus, ait. Viden' illum? videtur in inimici ſui nocumentum, quidquid machinatur agere: ſcitò tamen, quòd *iracundia animoſitatis illius, ſubuerſio illius eſt.* (Eccli. 1. 28.) Omnia hæc minæ, iuramenta, præſumptiones, dicteria, iactantiæ, in eius vergunt damnum & perditionem: eorum enim quodlibet pugio eſt, quo ipſe propriam deſtruit animam, & ſeipſum agit in ruinam. *Subuerſio illius eſt.* *Conſtat*, ait D. Auguſt. *plus eſſe quòd ſe lædunt iniqui, & quòd ſibi nocent, quàm quòd ſibi videntur nocere illis, quos oderunt.* Conformiter declarat idem D. Auguſt. verba Domini ad Cain, ſecundum Septuaginta, dum acerbiori bile in fratrem ſuum Abel animatus necem eius meditabatur. *Peccaſti? Quieſce, ad te conuerſio illius.* In fratrem tuum exacerbaris? compone te: prædico autem tibi, quidquid contra illum meditaris, in caput tuum redundabit, tibique erit maximè perniciosum, & tandem, dum inimicum tuum proſtraueris, dum ei honorem, bona, & vitam abſtuleris, dicito cum Lamech interfecto Cain: *Audite me &c. quia occidi virum in vulnus meum.* (Gen. 4. 23.) Id eſt in detrimentum meum: certum igitur eſt: quod licet iſta fiant, mille teipſum ruinis inuoluiſti: Dei gratiæ iacturam feciſti: Angelorum amicitiæ & iuris ad cælum: te diabolo tradidiſti, rem commiſiſti tibi moleſtiſſimam, & quæ tibi ſanguineas eliciet lachrymas, pectora tundes, pœnitebit, & proprio te ore damnabis, perperam egiſſe, non vt decet Chriſtianum, ſurſum voces & planctus emittes miſericordiam Dei requirens: quòd ſi nec iſta quidem egeris: væ tibi.

III. Qui vindictam ſumit ſibi maximè nocet.
D. Avg. Tom. 8. Serm. 2. in Pſ. 136. Lib. 15. de ciu. Dei cap. 7.
Gen. 4. 6.

Iam iterum prodit D. Auguſt. *Gladium euaginauerunt peccatores, intenderunt arcum ſuum, &c. Gladius eorum intret in corda ipſorum.* O ſtultos peccatores, qui gladios ſuos ſtringunt in alios, & arcus ſuos tendunt, ſed dum alios lædere ſe gloriantur, ſe ipſos transfigunt: & ſi alios in veſtibus tangunt, ſibi cor transfodiunt. Perpende, ait, Dauidem non dicere: *Gladius eorum intret in corpora eorum, ſed in corda ipſorum: quia in corpore voluerunt occidere, & in anima moriuntur. Quale eſt autem ſæuire gladio, nec poſſe occidere, niſi corpus inimici, & poſſe occidere animam ſuam? Deſipiunt, contra ſe ſæuiunt, inſaniunt, non ſe vident, tanquam ſi vellet aliquis per corpus ſuum ferrum traiicere, vt conſcinderet tunicam alterius. Illius conſcidiſti veſtem, & tuam carnem.* Ac proinde dicit Spiritus S. de talibus homicidis, qui ſibi videntur omnes proſtrauiſſe: *Ipſi quoque contra ſanguinem ſuum inſidiantur, & moliuntur fraudes contra animas ſuas.* Agunt in propriam animam.

D. Avg. In Pſ. 36. Conc. 2. Tom. 8.
Pſ. 36. 14.
Pſ. 36. 14.
Prou. 1. 18.

Ex hac doctrina declarat idem D. Auguſt. id quod Dauid ait: *Cor meum conturbatum eſt in me, & formido mortis cecidit ſuper me.* Exhibet hoc Pſalmo ſeuas illas perſecutiones, quibus eum affligebant inimici, dicteriis laceſſebant, operibus opprimebant, quibus, fatetur cor ſuum conturbari, & mortis formidine contabeſcere. *Formido mortis cecidit ſuper me.* Veruntamen, propitius ſit mihi Deus, de quibus ſibi timebat Dauid? An ille ipſe non erat, fortitudine primus, qui ſe incolumen ab omnibus ſeruare, & expeditum iri confidebat, vt à Gigante liber & expeditus euaſerat? *Perſequar inimicos meos, comprehendam illos &c.* An ille ipſe non erat, quem ipſe Deus digladiatoriam docuerat & brachia eius in omnes ſuos aduerſarios confortarat? ob quam cauſam ei laudes cantare potuerit: *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.* De quo igitur ſibi mortem formidat? ipſum audio confitentem: *Si ambulauero in medio umbræ mortis,* non

47. D. Pſ. 54.
Pſ. 17. 38.
Pſ. 143. 1.
Pſ. 22.

*non timebo mala.* Ne intellexeris hæc verba dicta eſſe quo ad corpus, ſed quo ad animam, ſicut ſupra diximus: in illo enim Pſalmo contendit Dauid mentem noſtram ad ſpiritualia attollere, ne terrenis inhæreat. Nouimus (ait D. Auguſt.) docente nos D. Ioanne, animam viuere per charitatem, quâ deficiente, moritur. [1. Ioan. 2. 3.] *Qui non diligit, manet in morte & nos ſcimus, quoniam tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres,* vnde D. Auguſt. [D. Aug. Tom. 8.] *Eſt amiſſa dilectio, mors tua.* Aduerte verò, quotieſcunque aliquis in te conſurgit, maledictis & opprobriis in te debacchatur, aut iniuriam irrogat vix tolerandam: duos contra te ſimul inimicos commoueri, viſibilem vnum, qui corpori noceat, inuiſibilem alterum, qui animam petat, vt eam perdat. [¶ V. A duobus impugnamur inimicis.] *Duos inimicos tibi conſtitue ante oculos, vnum apertum, alterum occultum, apertum hominem occultum diabolum.* Viſibilis impetit corpus, in mortem, vt occidat, vt famam, vt bona diſſipet. Inuiſibilis animam aggreditur, vt eam priuet charitate, bonis, meritis, ſalute. Hunc, vt magis pernicioſum plus debes timere; ſic enim præmonuit te Saluator: [Matth. 10, 28.] *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, & amplius non habent, quod faciant* Hanc mortem ſibi modo formidabat Dauid, dum eum inimici perſequuntur: timebat enim fieri poſſe, vt in ipſos iracundus inſurgeret, frendens incandeſceret, & immemor ſui vltionem ab eis expeteret: hoc autem mihi (ſic cenſebat) pergraue adferret nocumentum: dum enim eos in corpore interficio, animam mihi diabolus confodiet, odio & vindictæ cupiditate. Hoc timore totis membris contremiſco, ait Dauid.

Memoriam nobis refricat Dauid hiſtoriæ Iob, [Iob 2. 3.] in quem multis machinis diabolus bellum mouit, ſed omnium perculoſiſſimum fuit, dum eum per propriam vxorem aggreditur, quam acriter incitauit, vt virum variis criminationibus irritaret. Perpendit Origen. verba hæc: [Tract. 2. in Iob poſt mediũ.] *Dixit illi vxor ſua,* quæ bene conueniunt illis: [Gen. 3. 2.] *a Dixit ſerpens ad mulierem.* Dixerunt, qui colloquebantur Euæ, diabolus & ſerpens, ſed principalis fuit diabolus. Hi duo locuti ſunt Iob mulier & Satan, & ſic adiungit textus, ſecundum Septuaginta: *Reſpiciens in eam,* Conuertit ſe Iob ad illam: non dicit ſimpliciter, vidit illam, ſed quod couerſus ad illam, reſponderit: licet enim eam oculis corporis videret; vidit pariter iuxta illam & Satan oculis mentis: & quòd illa verborum ſuorum aculeis corpus affligendum impeteret, Satan vero in animam ſpicula contorqueret, per impatientiam condemnandam, impatientiam, inquam, contra Deum, qui eum, poſt tot exhibita obſequia plagis, miſeriis & vulneribus attriuerat: proinde eius reſponſio diabolum magis, quam vxorem tangebat, cum conteſtaretur, quas patiebatur calamitates, dona eſſe Dei, in ſuam vtilitatem ſibi collata, ſicut in eundem finem ei ſanitatem & diuitias ipſe contulerat. *Si bona ſuſcepimus de manu Dei,* &c. [Iob 2. 10.] Hunc præ cæteris inimicum plus timuit Iob, vtique qui ei maius poſſet adferre nocumentum, hunc & Dauid formidabat; nouerat enim, ſi bile commotus in aduerſarios, illos aut læderet, aut occideret, ſibi grauius damnum acquireret. inimicum quidem in corpore vexaret, ſibi vero mortem animæ inferret, tantò grauioris damni, quantò præualet anima corpori: *Formido mortis cecidit ſuper me.* Vide hanc materiam latius deductam in tractatibus noſtris.

### §. 14. *Medium efficaciſſimum obtinendi peccatorum remiſſionem, eſt calumniarum remiſſio.*

TRanſeamus vlterius, bolum hunc commo- 48.
lentes, & de eius innumeris & ineffabilibus fructibus gaudebimus, quos nobis Chriſtus propoſuit, hæc ſubiungens: *Vt ſitis filij patris veſtri, qui in cælis eſt.* Quid tibi perſuades, quod ruinam tuam, mortem & infamiam appetat, dum tibi hæc præcipit: *Diligite inimicos veſtros?* Abſit. Vitam tuam, honorem tuum, & ſalutem æternam tibi deſiderat, inſuper vt filius ſis Patris tui per diuinam gratiam, & heres æternæ vitæ per gloriam. Omnia reddit facilia, etiam duriſſima quæque, ſpes præmij, commodi & lucri. *Diligite inimicos veſtros,* & ſuprema quæque percipietis: quid hæc? *Eritis filij Patris veſtri cæleſtis.* Duo his comprehenduntur, quorum vnumquodque, bonum includit multò præſtantius, quàm lingua Angelica, nedum humana poſſit exponere. Fit homo filius Dei, per duo ineffabilia dona ſupra naturam. Primum per remiſſionem peccatorum. Secundum per infuſionem gratiæ, ſicut docet D. Petrus. [1. Pet. 1.] Dico igitur primo: quòd per obedientiam eorum, quæ tibi Deus præcipit, obtinebis incomprehenſibile quoddam beneficium, remiſſionem ſcilicet peccatorum. O quantum hoc beneficium! ſufficeret hoc vnicum (teſte D. Chryſoſtom.) [D. Chr. Ho. 71. ad pop. Tom. [illegible]] vt omnem deliniat difficultatem, licet multo foret illa grauior. *Non ſolum facti difficultatem, chariſſime cogitas, imo*

*gratias referre teneris, quòd per beneficium inimico collatum, tanta poſſis obtinere, quod apud Deum fores tibi fiducia reſerentur, vt peccatorum tibi fiat abſumptio.*

In Enchi- Doctrinam hanc profitetur D. Auguſt. & ad
ride 33. eius declarationem duas ſtatuit propoſitiones.
Prima: nullum quantumuis iuſtum eſſe ſine peccatis, ob quæ poteſt & debet quotidie Dominum
Matth. 6. rogare. *Dimitte nobis debita noſtra* Vnde doctiſ-
12. ſimè & veriſſimè dixit D. Ioannes: *Si dixeri-*
1 Ioan. 1. *mus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſe-*
8. *ducimus, & veritas in nobis non eſt.* Ab hac regula excipit D. Auguſt. Chriſtum Dominum, eiuſque puriſſimam Matrem. Quos numquam vult comprehendi, quotieſcumque de peccatis agitur. Secunda: Non poſſumus applicare medium efficacius poſt recepta Sacramenta, nec opus aliquod facere, quo Deum, noſtro modo loquendi, fortius adſtringamus, vt nobis noſtra dimittat peccata, quàm in nos peccantibus ignoſcendo. Hoc Theologica ratione probat, quàm expoſuimus per expreſſam Chriſti doctrinam:
Tract. 5. *Dimitte & dimittemini. Si dimiſeritis hominibus*
hom. 109. *peccata eorum, dimittet & vobis Pater veſter cæ-*
Matth. 5. *leſtis peccata veſtra.* & alibi: *Cum ſtabitis ad*
14. *orandum, dimitte &c.* Cuius præclaram ratio-
Marc. 11. nem reddit D. Chryſoſt. Tantò pluris facit Deus
Hom. 26. opus bonum, quantò purius fit in eius honorem:
in acta. vt vidimus primo die Quadrageſimæ. Vulgo nota eſt obedientia Abrahæ, quantum Deus eum extulerit dum filium ſuum parat offerre Deo in holocauſtum, ita vt videantur Deo deficere ver-
Gen. 22. ba, quibus hoc Abrahæ opus exaggeret. *Quia*
16. *feciſti hanc rem, & non pepercisti vnigenito tuo propter me:* Quomodo opus vocas: *Rem hanc?* cur non deſignas quid ſit? Tam excellens eſt & meritorium, vt nullum inueniatur nomen, quo declaretur, quid ſit. Et hæc cauſſa fuit, ob quam tanti illud fecerit, illo tam præclaro promiſſo remunerarit, & tam ſolemni iuramento confirmarit: *Per memetipſum iuraui &c.* Opus fuit pura intentione factum in Dei gloriam, & præcisè, quia hoc ei Deus imperauerat: ipſum enim in ſe, contra inclinationem erat Abrahæ, contra voluntatem, in ſui acerbiſſimum dolorem, familiæ damnum & poſteritatis optatæ detrimentum: ipſum patrem, fieri vitici ſui, viſcerum ſuorum dilectiſſimi peremptorem Vnicus & ſolus Deus obiectum erat Abrahæ: hoc ſignificat pleno ore: *Non pepercisti vnigenito tuo propter me.* Ad examen reducito opera tua, quæ ſi bene æſtimatus fueris, nullum inuenies, quod fiat purius propter Deum, quàm ignoſcere inimicis, benefacere his qui oderunt vos, eius procurare commodum, qui tuo ſtudet incommodo: quia ad hoc nihil aliud te mouebit, quam ſolus Deus: Nec enim ad hoc te mouet aut propria voluptas, aut naturæ inclinatio, aut commodum, aut honor tuus, aut quies tua, ſed vnica & pura Dei gloria.

Et hoc Chriſtus in Euangelio clariùs indica- I.
uit: Si amicum tuum diligis, fratres, & filios, Remiſſio
aut benefactores: parum tibi Deus obligatur: iniuriæ
quia ad hoc tua te prouocat natura, carnem tuam Deũ tibi
amare & ſanguinem, & diligere te diligentem, deuincit.
ſalutantem reſalutare, benefactoribus retribuere, ita agunt homines infideles, hæc Barbarorum virtus, peccatorum perfectio, quin & beſtiarum opus quotidianum: ita vt, licet nullus eſſet Deus tibi hoc præcipiens, idipſum faceres. Diligere vero inimicum, hoc noſtro loquendi modo, deuincit Deum, cum ſit ad eius ſolius gloriam, proinde opus eſt quod eum efficaciter inſliget, vt tibi & peccata dimittat, & gratiam largiatur, & illi iure dicere poſſis, ait D. Au-
guſt. *a Redde quod promiſiſti: quia feci quod iuſ-* a Ser. 39.
*ſiſti.* Lego D. Gregor. Nyſſen. *b* & D. Auguſt *c* de verbis
explicantes orationem Dominicam quam Chri- Domini
ſtus ad inſtantiam Apoſtolorum nobis compo- in fine.
ſuit doctiſſimus Magiſter; vt eam quotidie Pa- b Lib. de
tri noſtro cæleſti præſentemus: Magnum no- orat Do-
bis in ea præſtitit beneficium ait D. Auguſt. minica,
*Qui enim habent cauſſam, & volunt ſupplicare* orat. 5.
*Imperatori, quærunt aliquem ſcholaſticum iuriſpe-* c D. Avg.
*ritum, à quo ſibi preces componantur, ne fortè ſi* Tract. 7.
*aliter petierint, quam oportet, non ſolum non im-* in Ioann.
*petrent, quod petunt, ſed & pœnam pro beneficio* Tom. 9.
*conſequantur.*

Optimè nouerant Apoſtoli grauis, difficili & magni momenti lite coram diuino tribunali nos anguſtari: eſt autem hæc de noſtrorum remiſſione peccatorum; & noſtræ ſalutis, gratiæ, gloriæ & vitæ æternæ negotio maximè arduo. Ignorantes ſumus; & quid nobis ſit petendum,
neſcimus: ſicut poſtmodum D. Paul. *Nam quid* Rom. 8.
*oremus, ſicut oportet, neſcimus.* Sæpe numero 26.
petimus, id quod nobis non expedire neſcimus; quinimo & ipſi Apoſtoli Iacobus & Ioannes, tam inconſideratam petitionem Chriſto obtu-
lerunt, vt illam velut fatuam reiecerit: *Neſci-* Matt. 20.
*tis quid petatis.* Recurrunt ergo Apoſtoli, ad 22.
Chriſtum: *Domine doce nos orare Cum ergo quæ-* D. Avg.
*rerent ſupplicare Apoſtoli & non inuenirent quo-* Tom. 9.
*modo adirent Imperatorem Deum, dixerunt Chriſto: Domine doce nos orare Hoc eſt Iuriſperite noſter, aſſeſſor Dei, imo conſeſſor, compone nobis preces.*

Con-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Conſenſit Chriſtus, & hanc eis & nobis oratio-
*Matth 6. 9.* nis formulam compoſuit. *Sic ergo orabitis: Pater noſter qui es in cælis.*

Hanc cæleſtem orationem explanat D. Gre-
gor. Nyſſen & vt peruenit ad illa verba: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Siſtit & ait: Quid hoc ſupre-

II. Optima precandi formula.

me omnium Magiſter, non congruè videris nobis hanc formulam digeſſiſſe; nec conueniens apparet; vt rogem ego Dominum; Parce mihi Domine & dimitte quod tibi debeo, ſicut dimitto debitoribus meis: primo etenim: quod Deo debeo, debitum eſt infinitum: (tale enim per peccatum mortale contrahitur) ad cuius ſolutionem, totum cælum, cum ſtellis ſuis. ſole & luna; addo, & omnes Angeli, terra vniuerſa cum omnibus ſuis diuitiis, auro, argento, gemmis non ſufficiunt. Debita ſeu iniuriæ, pro quibus mihi debitores mei adſtringuntur, res flocci ſunt, abiecto facta vermiculo. Qua igitur ratione dixero: Dimitte mihi, quas in te commiſi, offenſas, cum & ego meas dimittam, mihi illatas? Num eſſet conſequens ſi ego tibi mille ducatos abſtuliſſem, dicerem: Dimitte mihi Domine, debitum, ſicut & ego tali dimitto, qui mihi ſtipulam abſtulit? Vlterius, vbi hoc reperias, vt ego actiones meas Deo in regulam & menſuram proponam, ſecundum quam ipſi ſit agendum? Quod dicat, vt ſimus perfecti, & imitemur patrem noſtrum, nihil eo melius, & iuſtius: Verumtamen, quod dicamus, vt Deus nos imitetur, & ipſe faciat, *Sicut & nos*: inuerſum videtur. Nihilominus, noueris hanc eſſe congruentiſſimam orationem, ab ipſa diuina ſapientia compoſitam. Et omiſſis aliis ſubtilioribus rationibus D. Gregor. Nyſſen. quas plenius

*Tract. 5. nu. 118. & ſeqq.*

retulimus. Hoc aſſero omnium ſupremum Magiſtrum voluiſſe nobis ſignificare, nihil efficacius poſſe à te proponi, quo Deum, vt tibi peccata dimittat, permoueas, quàm tibi perſuadere, vt ob eius amorem peccata dimittas in te peccantibus, & his qui te oderunt, benefacias; quia quantò te minus ille deuincit, tantò ſe Deus pluris tibi deuinctum eſſe profitetur. Hæc eius eſt miſericordia, ait D. Baſil. *Te fecit eſſe medicum tuipſius, quâ menſurâ menſus fueris, menſurabitur & tibi &c.*

*D. Baſ. Ho. 29. de pœnit. Tom. 1.*

§. 15. *Oratio ſuæ veritati innitatur, & Chriſtum audi:* Quodcumque ſupererogaueris: *& hoc quod D. Paulus Philemoni ſcribit.*

HOc ſuppoſito, ait D August. attende, quas Deo proponis preces, & iuris regulam, quòd, quicumque à ſuo ſuperiore rem quamlibet petierit, ratione falsâ allegata, irritum ſit eius reſcriptum, irrita gratia, conceſſio irrita, & nullius efficaciæ; quia gratia ſemper intelligitur conceſſa: *Si preces veritate nitantur. Iuris enim forenſis eſt, vt qui in precibus mentitus fuerit, non illi proſit, quod impetrauerit*: Statuit cæleſtis iuriſperitus, vt preces noſtræ, quibus peccatorum noſtrorum ſupplicamus remiſſionem, in eo fundentur, vt dicamus, nos dimittere debitoribus noſtris, & ignoſcere iis qui nos calumniati fuerint. *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Et erat doctrina hæc conformis pandectis iuris diuini. *Docuit Dominus de libro iuris cæleſtis, docuit quomodo orarent, & in ipſo, quod docuit poſuit quamdam conditionem. Dimitte nobis debita noſtra. ſicut & nos dimittimus &c.* Hoc ſtatuit iuris diuini digeſtum: quòd eo modo Deus tecum agit, quo tu cum proximo egeris. Inter nos ait D. Auguſt. Papa, Imperator, Rex, homines ſunt deceptionibus obnoxij, quibus facilè poſſis imponere; proinde quando tuos ſupplices libellos offers Pontifici, narrans: Cum tale beneficium, ſeu præbenda ſit veſtrorum anteceſſorum donatio: vel vacet, eò quòd tempore legitimo non ſit ei prouiſum: dum ſubſcribit petitioni veſtræ, ſic ordinat: ſi preces veſtræ veritate non nitantur; talis gratia, nulla ſit. Non eget Deus hac concedendi formulâ: omnia enim nouit, an videlicet preces tuæ nitantur mendaciis. quocirca antequam acceſſeris, verifica illas, ſit fundamentum verum: ſi enim verum non ſit, tuam tecum defers reſponſionem, te non mereri talem gratiam: mendax enim eſt fundamentum.

*10 D. Aug. Tract. 7. in Io.*

*I. Oratio noſtra debet veritate niti.*

*II. Similitudo.*

Hoc Chriſtus indicauit, dum nobis inſinuat, antequam Deo preces noſtras offeramus, quas ipſe, vt Aduocatus noſter, compoſuit, conditionem verificaremus, quam adiecit: *Cum ſtabitis ad orandum, dimittite &c.* Hoc eſt opus purè factum intuitu ipſius Dei, & id ſibi ipſe ſoluendum aſſumit. Optimè hic quadrat, meo iudicio: quod narrat D. Luc. Docuit Chriſtus Legiſdoctorem, quod eſſet mandatum magnum in lege,

*Marc. 11. 25.*

ſcilicet

ſcilicet amor Dei & proximi : cui ille : *Quis eſt*
III. Quis eſt poſter proximus. *meus proximus?* Ingenioſè hoc expreſſit Chriſtus parabolâ Samaritani, qui profectus de Hiericho offendit in via iſraelitam cæſum, vulneribus transfoſſum, veſtibus exutum, ſemiuiuum : impoſuit eum ſuper iumentum ſuum, alligauit vulnera, infudit oleum & vinum, duxit in ſtabulum, curam illius egit, & ſtabulario erogauit duos de-
Luc. 20. 35. narios : iſta præcautione : *Curam illius habe, & quodcumque ſupererogaueris, ego cum rediero, reddam tibi.* Hic huius vulnerati proximus fuit.
2.2.q.25. art.5. Intendit Chriſtus docere, id quod D. Thom. Doctor Angelicus explicat. Qualemcumque hominem, licet Samaritanum (quo nullus Iudæis infenſior) licet Maurum, Arabem, eſſe proximum tuum; quem, vt talem, teneris amare, illi optare Dei gratiam in hac vita, & gloriam in altera.

Verum quidem eſt, æquum eſſe, naturam amando, eius peccata exhorreſcere, odiſſe idololatrias, apoſtaſias, beſtialitates, iniuſtitias, oppreſſiones, quibus nos infeſtant; & huius intuitu, iuſtum eſt eos punire, & ſecundum iuſtitiam optare, vt moriantur, & Principes eis grauiſſima indicant bella. Nihilominus odiendo malitias eorum, perſonas teneris diligere, ſecundum naturam quam habent tecum capacem gratiæ & gloriæ. Dein in hoc Samaritano Chriſtus ſeipſum ſignat, vt communiter exponunt Doctores, & exinde Magiſter ſententiarum inchoat quartum librum ſententiarum. *Samaritanus ille.* Licet verò quoad hæc multa ſint dicenda, hoc vnicum ponderandum: id videlicet quod vobis & vobis, & mihi & omnibus iniungit, vt curam proximi non negligamus : *Curam illius habe.* Hoc ipſum
Eccli 17. 12. multò ante nobis declarauerat Spiritus S. *Vnicuique mandauit Deus de proximo ſuo.* Et quid dicit ? Eius curæ hoc impende, quod tibi modò do, hoc ei ex iuſtitia debes, & proinde, pro eo tibi ſatisfacere non tenebor, quod verò ſupererogaueris, ad quod non teneris : quantumcumque illud fuerit, *Ego cum rediero, reddam tibi.*

51 Multa tibi Deus largitus eſt in ordine ad proximum tuum; quæ ei ex iuſtitia debes Dedit tibi naturam humanam, quæ ratione regitur, cui naturale eſt, correſpondere ſimilibus operibus, tibi ab aliis impenſis : ſalutantem te reſalutare, honorantes te honorare, benefactoribus retribuere. Ad hæc obligaris, his enim tibi iam ante ſolutum eſt, & eo beneficio, quo tibi alius occurrit, ſoluit id, quod illi præſtiteris; & illi pileo, quem tibi aufert, ſatisfactum eſt, illo quo
Matth. 5. 26. alter aperiendo caput ſuum, te excepit. *Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & publicani hoc faciunt? Et ſi ſalutaueritis fratres veſtros tantum : quid amplius facitis? Nonne & ethnici hoc faciunt?* Quid vero particulariter tibi promittitur ſoluendum? Ad quod ex iuſtitia non teneris. *Quodcumque ſupererogaueris* : Tantò quantò minus obligaris : tanto magis tibi refundetur. *Tantò intelliguntur* D. AVG.
*opera eſſe gratiora* (ait D. Auguſt.) *quantò magis* Lib. 1. de
*oſtenduntur indebita* Et hoc ſignificat : *Quod-* adulter.
*cumque ſupererogaueris, ego, cum rediero, reddam* coniug.
*tibi.* c. 14. To. 6.

Singula verba expendamus *Quodcumque ſupererogaueris. Quodcumque*, quantumlibet illud paruum ſit, quod præſtiteris, indebitum proximo : quantò minus hoc ei debueris, tantò plus me fateor debitorem. *Ego* An non hoc *ego*, velit connectere, illi *Ego* Euangelij : *Ego autem dico vobis?* Ego ipſe vobis mando, & ego ipſe, qui in me ſuſcipio pro hoc tibi ſatisfacere. *Ego reddam: Cum rediero.* Siue hoc ſit in hora mortis, ſiue in die iudicij, de quo ſæpenumero dicit, quòd veniet redditurus, tunc vſque ad nouiſſimum quadrantem, totum hoc ſoluet, quod proximo tuo præſtitiſti, licet ei nihil debueris, aut ex iuſtitia non fueris ei adſtrictus benefacere : quia quantò minus illi hoc debes, tantò magis hoc ad meas aſſumo rationes : quia mei gratiâ hoc feciſti, & vt impleres, quod tibi commendaui. *Curam illius habe, Diligite inimicos veſtros, benefacite iis, qui oderunt vos : vt ſitis filij* &c.

Litteras commendatitias ſcripſit D. Paul. nobili viro Philemoni, deprecans, ignoſceret ſeruo ſuo Oneſimo, qui eum grauiter offenderat. Interponit auctoritatem ſuam, & ait. Non quod offenderit te Oneſimus, porro rogo te, ſi me habeas tibi amicum, ignoſce illi, & ſi ex ſe hoc non mereatur, hoc facito in mei gratiam, quod ipſum ita in me ſuſcipio, vt tibi ſyngrapham meâ manu tradam, & quodcumque ei præſtiteris, *Hoc mihi imputa*: & licet te poſſem ad hoc adſtringere ob multa, quæ mihi debes, in eorum detractionem, cum & te totum mihi debeas : Noli timere : nolim enim eo hoc fiat titulo; ſed ego tibi ſatisfaciam, quaſi mihi nihil deberes. *Si ergo habes me ſocium, ſuſcipe illum ſicut me. Si autem aliquid tibi nocuit aut debet hoc mihi imputa, Ego Paulus ſcripſi meâ manu : ego reddam, vt non dicam tibi, quòd & teipſum mihi debes.* Accipe hæc verba, quaſi tibi dicta à Chriſto; *Si ergo ha-* Ad Phi-
*bes me ſocium, ſuſcipe illum ſicut me.* Perpende, lem. verſ.
verbum *Ergo* : q. d. Sit hæc reſolutio, quòd ſi 19.
gloriaris, & eſſe deſideras mihi amicus, ignoſce illi, in cuius perſona, ego me ſiſto. Sicut me ſiſto

in perſona pauperis, & hæc velim perſuaſum habeas, quidquid illi feceris, *Hoc mihi imputa. Suſcipe illum ſicut me.* Si obieceris, te nihil ei debere, reſpondeo, tranſeat, ſit ita, nec ob hoc rogo, vt facias eius nomine; ſed meo: *Hoc mihi imputa.* Vt verò de pretio te reddam ſecurum, hanc tibi ſcribo ſyngrapham mea manu ſubnotatam, quâ tibi eius promitto ſolutionem: *Ego Chriſtus ſcripſi mea manu. Ego reddam.* Audin' quàm aptè congruat illi. *Ego autem dico vobis.* Ne timeas, quòd antiquas à te repetam rationes, & dicam. Plura his mihi debebas: cum quidquid es, aut habes, mihi debeas. *Non dicam tibi, quod & teipſum mihi debes*: ſed quod pro illo tibi ſatisfaciam, quaſi nihil mihi deberes: vis plura? Num facere potes aliquid, quo ſtrictius Deum obliges, ſi obligari poſſit? Ideo hanc poſuit in oratione clauſulam. *Sicut & nos dimittimus.* Domine Deus, an alias non potueris adiicere conditiones & dicere. *Dimitte nobis debita noſtra*: cum ieiunemus: flagellis nos cædamus &c.? Poterat equidem, ſed hanc elegit, ait D. Auguſt. quâ fortius ſe ipſum conſtringeret (ſi conſtrictus vocari poſſit) cum ſit opus merè in eius gratiam factum, & magis veniat in eius ſupputationem; quod eſt ignoſcere delinquenti.

§. 16. *Oleum miſericordiæ vaſis infunde vacuis: velut illa vidua, quo veſtra ſoluentur debita.*

☞ 52 Ser. 200. de temp. MAgna D. Auguſt. detegit myſteria in muliere illa vidua quondam nupta filio Prophetæ: defuncto viro multis grauata debitis manſit ſuperſtes, ob quæ & illam & filios eius diuendere prætendebant creditores: modo agendi illis temporibus valde frequenti: dicebant enim, mulieri imputandum & filiis, quòd vir tot familiam debitis oneraſſet. Confugit ad Prophetam Eliſeum, exponit extremam ſuam illi calamitatem: Interrogat eam Propheta. quid habes in domo tua? (4. Reg. 4. 2.) *At illa reſpondit. Non habeo, ancilla tua, quidquam in domo mea, niſi parum olei quo vngar. Cui ait: vade, pete mutuò ab omnibus vicinis tuis vaſa vacua non pauca; Et ingredere, & claude oſtium tuum, cum intrinſecus fueris tu & filij tui, & mitte inde in vaſa omnia hæc, & cum plena fuerint, tolle.* Et hoc modo adeò ſuperfluet & redundabit oleum, vt non ſolùm tibi ſufficiat, quo creditoribus ſatisfacias & debitis, inſuper & diuitias congeres, quibus tu & filij tui peramplè & abundè poſſitis vitam tranſigere. Permagna imò & infinita ſunt noſtra debita. *In multis offendimus omnes.* (Iacob. 3. 2.) Qui vero minus debet, debet decem millia talenta, ita Chriſtus notat in parabola hominis Regis: qui *cum cœpiſſet rationem ponere oblatus eſt ei vnus, qui debebat ei decem millia talenta.* (Matth. 18. 23.) Et is primus erat, Quid de reliquis, qui tantò magis ad reddendam rationem conſtringerentur, quantò plura contraxiſſent debita? Solutio facienda eſt oleo charitatis. Quæ cæteris virtutibus ſupernatat, vt oleum liquoribus. *Maior horum eſt charitas.* (1. Cor. 13. 13.) Operibus miſericordiæ & charitatis ſatisfit pro peccatis. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* (1. Petr. 4.)

Hinc conſequenter exponit D. Auguſt. conſilium Danielis Prophetæ datum infami illi peccatori Nabuchodonoſor. *Peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum.* (Dan. 4. 24.) Vbi notat præcipuam eleemoſynam & miſericordiam eſſe cordis, quando diligimus inimicos, & illis benefacimus, de quo alibi. (I. Quid ſignet oleum.) Amor hic & charitatis opera, vbi effundenda ſunt, quo habeamus ad ſoluenda debita. Num in vaſa plena? (Tract. 5. nu. 109.) Non hoc: arbitror enim quòd incompetenter poſſis Deo proponere: Domine miſerere mei: quia miſertus ſum filij mei, & amaui me amantem, beneficio beneficium compenſaui: reſponderet enim tibi: quòd feceris hoc, ad quod adſtringebaris: *Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis?* (Matth. 5. 46.) In vaſa vacua mittendum charitatis oleum. (II. Quid ſignificant vaſa vacua.) Quæ ſunt hæc vaſa? Inimicus tuus, & tantò magis vacuus, quantò tibi crudelior: cum in illo non ſit amoris in te oleum, nec quidquam tibi proficuum, nec delectabile. O Domine non meretur; fateor, & hoc eſt eſſe vacuum: quia amare amore dignum, & benefactori benefacere, eſt oleum in vaſis infundere plenioribus. Oleum illud immiſſum vaſis vacuis, eſt illud quod augeſcit, & valet plurimum; ita vt ex illo profluat quo debitis noſtris ſatisfaciamus.

*Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi ſoluentur peccata tua*, ait Spiritus S. (Eccli. 28. 2.) Ponderanda ſunt hæc duo verba: *Relinque*, & *ſoluentur* de quibus alias egimus. (Tract. 4. nu. 137.) Ex quo innoteſcit cauſa, cur in principio Quadrageſimæ, hoc nobis mandatum proponatur. Parcat mihi Deus: Eccleſia ſancta, an non ſumus in principio Quadrageſimæ? An non hi ſunt primi paſſus? Quid à nobis requiritis? *Ego autem dico vobis, Diligite* &c. Quid? an hinc exorditis? An non eſt axioma philoſophicum, quòd *à facilioribus eſt inchoandum.* An ergo aliquid hoc præcepto difficilius? *Ecce le in omnibus iuſtificationibus Domini nihil*

*difficilius inuenies, quàm quòd quis ſuos diligat*
a D. AVG. *inimicos.* Aſſerit D. Auguſt. *a* & D. Chryſoſt. *b*
*in Pſ.118.* Vocat hoc præceptum: *Vltima corona bonorum,*
*ſerm.7. ad & totius virtutis cacumen.* Et D. Paul. *c Plenitudo*
*fiuem. & legis eſt dilectio.* Qui itaque hoc petit, petit ple-
*ſerm.1. &* nitudinem legis, & opus in lege Dei omnium
9. perfectiſſimum & eminentiſſimum.
b DIVVS Iudicarent alij hoc vltimò proponendum, ſci-
CHRYS. licet in hebdomada ſancta, quando iam per fre-
*Hom.18.* quentes conciones, fidelium cordibus rite diſpo-
*in Matth.* ſitis, ipſo Paraſceues die huius præcepti adim-
*Tom.2.* pletionem Chriſti exemplo prædicamus. Nemo
c *Rom.13.* reprehendat Eccleſiam. Inſtituit hoc tempus, quo
10. agamus de peccatorum obtinenda remiſſione: ad
53 hanc verò actus omnium efficaciſſimus (vt nihil
dicamus de Sacramentorum receptione) eſt of-
Cur mo- fenſarum remiſſio. O quàm foret efficax oratio
do hoc illa dum genuflexus à Deo miſericordiam poſtu-
propona- las, illi omnium iniuriarum pleniſſimam offerres
tur præ- remiſſionem, quã tuis indulſiſti inimicis. Quan-
ceptum. do peccata tua confeſſurus accedis, primum te
paululum recollige, & ex intimo cordis affectu
inimicis ignoſce, & congruè poteris dicere: *Di-*
*mitte nobis debita noſtra, ſicut & nos* &c. Nullum
reperio opus, cui fortius Dauid innitebatur, vt
ſuorum peccatorum veniam ſperaret, quàm dum
Sauli pepercit in ſpelunca, cuius manibus, vt cæ-
dis reus, iam tradebatur occidendus; vt præfati
ſumus: quo peracto, ſpelæo egreſſus coram Deo
prouolutus, Pſalmum cæleſtem inchoat, pleno
gutture Dei miſericordiam implorat, totâ fidu-
*Pſ.56.1.* ciâ. *Miſerere mei, Deus, miſerere mei, quoniam*
*Tract.4.* *in te confidit anima mea.* Vt notat D. Gregor.
*nu.144.* Nyſſen. & declarauimus. Et quod Semei maledi-
centi vitam donaſſet, tantam ei ſpem contulit ob-
tinendi culparum ſuarum indulgentiam: vt per
hoc eius ſe quaſi certum conſideret, vt ibidem
*Matth.5.* diximus. Huic concinit doctrina Chriſti. *Si er-*
*23.* *go offers munus tuum ad altare* &c. *Relinque ibi*
*Tract.5.* &c. *& vade reconciliari* &c. Doctrina hæc my-
*nu.213.* ſteriis abundantior quàm verbis: vt alias expo-
*& ſeqq.* ſuimus. Hinc deducimus, cur Chriſtus affixus
cruci, primum pro crucifigentibus eum inimicis
*Luc.23.* & tortoribus Patrem ſupplicans ait. *Pater, di-*
*34.* *mitte illis.* Diuinus enim ille Sacerdos, totius
mundi in ſe peccata receperat, & vt eorum obti-
neret indulgentiam altare crucis aſcenderat: ete-
nim ſciebat ad eorum remiſſionem, omnium
maximè conducere, hoſtibus ignoſcere, vt & tibi
*Cap.53.* ignoſcatur. Proinde duo hæc coniunxit Iſaias:
*17.* *Ipſe peccata multorum tulit, & pro tranſgreſſori-*
*Tract.5.* *bus rogauit.* Sacratiſſima verba de quibus alias.
*nu.227.*

§. 17. *Qui inimico non remittit, ei Diuina non proderit miſericordia, ſicut nec Ioab cornu altaris.*

RIdet Spiritus S. vt fatuum, eum, qui nolens 54
inimico remittere calumnias ſibi illatas,
ſuorum peccatorum à Deo poſtulat miſe-
ricordiam. *Qui vindicari vult, à Domino inue-* *Eccli.28.*
*niet vindictam, & peccata eius ſeruans ſeruabit.* *1.*
Nihil hic prætereamus; rationem aſſignat: *Ho-*
*mo homini ſeruat iram, & à Domino quærit mede-*
*lam.* Hoc innuit Chriſtus in parabola de ſeruo,
cui Dominus decem millia talenta non dimiſit: a *Tract.4.*
quia conſeruo ſuo ſupplicanti centum denario- *nu.136.*
rum debitum non laxauit. Vt alio loco diximus *& ſeqq.*
*a* quam parabolam ſic Chriſtus concludit: *Sic &* *Matt.18.*
*Pater meus cæleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis* *35.*
*vnuſquiſque fratri ſuo, de cordibus veſtris.* Hac pa- D.
rabola nitebatur D. Chryſoſt. auditores ſuos ad CHR.
huius obſeruantiam præcepti permouere, & tan- *Ho.27.*
tâ verborum elegantiâ perorauit, vt ipſe in fine *in Gen.*
concionis faſſus fuerit, quòd oculis teſtibus, per- *To.1.*
ciperet fructum quem fecerat, vnde & ſibi con-
gratulabatur. *Gaudeo & lætor: quia video vos*
*tantâ voluptate, quæ dicimus, audire, & plauſu*
*tanto excipere, promptoſque eſſe, & ad Dominici*
*mandati adimpletionem paratos.* Vidit igitur D.
Chryſoſt. fructum, quem huius parabolæ propo-
ſitione fuerat operatus, & certè permagnum, ſicut
ibidem retulimus: & fortè, eo prædicante ſurre-
xerunt quidam Auditorum in medium, dimit-
tentes calumnias, remittentes veteres inimici-
tias, & in pacis oſcula corruentes. Sicut poſtmo-
dum contigit Apoſtolo noſtro S. Vincentio Fer-
rario eandem materiam prædicanti: Supponit
D. Chryſoſt. nihil adeo diuinam irritare iuſti- D.
tiam, quam videre aliquem pertinacem, & obſti- CHR.
pum in remittendo ſibi illatas calumnias. *Nihil* *Tom.1.*
*omnium Deus ita odit, & auerſatur, vt hominem* I.
*vltionis auidum, & in animo ſuo perpetuas aduer-* Deo
*ſus proximum ſeruantem inimicitias: tantum enim* ſum-
*peccati eius damnum eſt, vt miſericordiam Dei* mè di-
*reuocet, nec locum habere ſinat.* ſplicet,
Ad huius probationem, perpendit hanc para- qui nõ
bolam, in qua Regis clariſſimè præfulſit & bo- vult
nitas & miſericordia erga ſeruum ſuum; cum offen-
enim tantum eſſet debitum, vtpote decem mil- ſas re-
lium talentorum, ei hanc ſummam vnius humil- mitte-
limæ petitionis intuitu liberalis dimiſit, inſuper re.
cum nec debiti quidem peteret remiſſionem, ſed
temporis tantùm dilationem; *Patientiam habe*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*in me; & omnia reddam tibi*. Non ei temporis tantum indulſit dilationem, quin & totum ei dimiſit debitum. *Omne debitum dimiſi tibi: quoniam rogaſti me.* Ex quo liquidò patet ei Regem plura conceſſiſſe, quàm ille depoſcebat. Verum enim verò, cum in hoc miſericordiæ & bonitatis ſuæ ſtatuerit exemplum, oſtendere voluit, quàm grauiter offenſus, & prouocatus fuerit ad iram contra illum talem ſeruum, eò quòd conſeruo ſuo nedum debiti centum denarium remiſſionem, ſed & temporis dilationem ſupplicanti pertinax negauerit & in eum, efferâ bile commotus, ſummâ iniuriâ ſæuierit; ob quam culpam à Domino mali ſerui nomine damnatur: *Serue nequam*.

Res notatu digna: Reprehenſus à Rege ob diſſipata eius bona, & decem millium talentorum debiti conuictus, numquam audiuit: *Serue nequam*: cum, & hoc nomen tunc aptiſſimè conueniret, tanquam infidelitatis & malæ adminiſtrationis reo, ſed modò tantùm, cum conſeruo temporis prolongationem concedere recuſauit. Clementiſſimo enim Regi nihil adeo reddidit reprehenſione dignum ſeruum hunc quàm audire, quòd conſeruo ſuo parcere nequam noluiſſet.

> D. Chr. Tom 2.

*Vide Domini indignationem, vide quantum malum ſit iniuriæ reminiſci, cum decem millia talenta conſumpſiſſet, non vocauit eum malum: ſed nunc, quando conſeruo crudelis fuit. Male ſerue, inquit, omne debitum dimiſi tibi*, &c.

> (a) *Poluer al juego.*

Secundò: cum ei omnia dimiſiſſet, (*a*) omnia reducit ad iudicium & ruminat & quaſi ei nihil condonaſſet, ita illum carceri mancipauit ob debitum, vt æternas luat meritiſſimas pœnas: cum numquam tali debito ſe l ſendo ſit ſufficiens. *Sic & Pater meus cæleſtis* (concludit Chriſtus) *faciet vobis, ſi non remiſeritis vnuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris. Formidoloſa eſt hæc ſententia*, ait D. Hieronym. & quæ tibi oſſa tremore concutiat: quod ſi ratione repetendi debita & peccata ſemel remiſſa, nobis ſit neceſſarium eo vti medio, quo hoc declarant Theologi, illud liquidò hinc concludimus nullam tibi ſperandam à Deo peccatorum veniam, ſi nec tu proximi calumnias in te commiſſas remiſeris. Quod ſatis patuit in multis, præſertim in Eſau, Saule, Antiocho, de quibus ex intentione diximus. Nominatim verò in Ioab:

> Tract. 4. n. 140. & ſeqq. & Tract. 5. n. 129. & ſeqq.

Appropinquauerunt dies Dauid vt moreretur: vocat ad ſe Salomonem, quem regni ſucceſſorem deſignauerat, de ſuis diſponens, hoc ei præcipit, quod ab eo perfici volebat: Inter alia, fili mi, hoc tibi iniungo; vt me è viuis ſublato, ſtatim vitam auferas conſobrino tuo, ſororis meæ filio Ioab: ſitque ille primus, in quem tuæ poteſtatis ſtringas gladium, non ei parcas, non ei ne vnum vitæ diem concedas. Hoc ita ad Critolai libellam Salomon eſt executus, vt quo die Dauid mortalitatis debitum perſoluit, clauſitque oculos, illicò mandarit Duci fortiſſimo Banaiæ, vt electâ militum manu aggrederetur Ioab, eumque confoderet. Rumores triſtes deferuntur ad Ioab. Quid ille? Confugit ad tabernaculum Dei, velut ad locum ſacrum. Nihil refert, ait Salomon: vade, *Et interfice eum & ſepeli, & amouebis ſanguinem innocentem.* Nec vobis durum ac ſacrilegum videatur, conſobrini mei ſanguine Dei altare purpurare: non enim iuſtum eſt, vt ei veniat præſidio tabernaculum, nec in hoc ſacrato altaris loco inueniat aſylum. Res tragica: de qua dubium eſt, vtrum demirari magis debeas, vel Dauidem hoc præcipientem, vel Salomonem hoc exequentem.

> 3. Reg. 2. 31.

> II. Cur Dauid Salomoni præcepit, occideret Ioab.

Quæ potuit ſubeſſe ratio, cur Dauid tam grauiter ſe offenſum oſtenderit, vt etiam in horâ mortis, horâ inimicis ignoſcendi: horâ, inquam, illâ, quando crudeliſſimi quique, non ſolum ignoſcunt, ſed & ipſi ſupplices erratorum veniam tam à præſentibus, quam abſentibus efflagitant; cum eſſet Dauid tam præclarus hoſtium reconciliator; hoc ſtatuat primicerium, ne parcatur Ioab. Erat Ioab ſororis eius filius: Generalis exercitus Dux, ſeruierat Dauidi, celeberrimas obtinuerat victorias, inſuper vt Dauidi complaceret, Vriam euidenti vitæ periculo expoſuerat, quo & cæſus eſt. An forſan propter hoc eum iuſſit interfici? Frequenter enim contra quos acrius excandeſcis, quo tempore ſyncerè res agitur, ſunt illi amici, qui tuis nequitiis humeros præbuere. Et cum iam illud Dauid, fieri præceperit, admiror Salomonem, illud ad litteram ita fuiſſe exequutum: cum eſſet Ioab eius conſobrinus, & res illa prima eſſet, quâ Regiæ ſuæ poteſtatis oſtenderet auctoritatem, ob quam eum procul dubio nimiæ crudelitatis arguerent; adde, quod cum Salomon tantus eſſet tabernaculi Dei, & altaris cultor, noluerit tamen frui Ioab eius præſidio: licet omnes nationes, etiam maximè barbaræ, loca Deo ſacrata, inuiolata, & reorum refugium ſecuriſſimum eſſe voluerint, vt aduertit D. Auguſt. *a*

> a Lib. 1. de ciu. Dei 4. & ſeqq.

Huius mandati rationem aſſignat Abulenſ. nimirum ſæuitiam quâ Ioab Abſalonem filium Dauid interemit; qui licet patri ſuo fuiſſet rebellis, & acerbioribus eum iniuriis oppreſſiſſet, verumtamen in omnium Principum conſeſſu, &

> 55. In c. 13. Reg. q. 7. & q. 36. & 37.

exercitu circumſtante, præceperat Dauid, omnium grauiſſimè læſus, *Seruate mihi puerum*
2.Reg. c. 18. 15. *Abſalon.* Ille vero adeo feroci in Abſalon eſt animo concitatus, neglecto Dauidis imperio, vt honori ſibi duxerit vlciſci iniurias, nec vllâ vti miſericordiâ; quinimo data occaſione, cum tribus lanceis perfodit: talis iniuriarum vindex, immiſericors, & Regis inhibitioni parum obediens, imo totus refractarius, moriatur, nec ei proſit Dei tabernaculum, cornu liceat amplectatur altaris, ſine miſericordia transfodiatur. Hoc innuere voluit Dauid, (teſte Abulenſe)
3.Reg. 2.5. his verbis: *Tu noſti, quæ fecerit mihi Ioab filius Sarmia.* Tenè offendit, ô Dauid? tenè lanceâ transfixit? Tunè ictum perſenſiſti? Me, me offendit, & licet lanceæ cor Abſalonis transfixerint, verius tamen me, cor meum transfoderunt: & ego qui læſus & pars offenſa, ei præceperam vt ignoſceret. *Seruate mihi puerum Abſalon.*

Dicito mihi (amabo) An non Deus ipſe tibi hoc præcepit in congregatione Ducum ſuorum, Apoſtolorum, & totius mundi quòd licet proximus tuus foret perduellis, ei ignoſceres, & fieres ei miſericors? qui licet peruerſus, filius tamen eſt Dei per creationem, & germanus tuus per naturam; *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros.* An hoc veritas non eſt, licet te proximus grauiter offenderit, quòd Deus ſit principaliter pars læſa? Alter enim dum te lædit, peccauit; & omne peccatum primò lædit Deum, Ita vt, quando incidis in adulterium, ſicut Dauid, quo vxoris lædis maritum, potes
Pſalm. 50. Deo dicere: *Tibi ſoli peccaui.* Vos, vos eſtis tam peruerſi, & crudeles Chriſtiani, vt audientes Regis & Domini veſtri, toties repetitas voces, & vobis denuo hæc mandata renouata, illa contemnatis, præterea tres lanceas vibretis contra proximum veſtrum, vnam, quâ eius honorem, alteram quâ eius bona temporalia, tertiam, quâ eius vitam perdatis, quæ omnia libentiſſimè videres eſſe peſſumdata.

Cum igitur hæc agatis, & in his perſiſtatis
Hebr. c. 4.16. maleuoli, ſcitote, vobis nec Dei tabernaculum, nec ſacrum altare ad miſericordiam profuturum.
III. O ſupremum ſalutis noſtræ altare, miſericordiam Dei! ad illud periculis preſſi recurrimus.
Nulla fiet ei miſericordia, qui non remittit iniurias. *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, vt miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno.* Non tibi erit ſubſidio Dei miſericordia, nec eam in altari inuenies: iam enim pridem tulit ſententiam D. Iacob.
Iac. 2.13. *Iudicium ſine miſericordia illi, qui non fecit miſericordiam.* Nec ſuper hac re mireris: vos enim ipſi ſingulis diebus ſæpius contra vos ipſos fertis hanc ſententiam, quando dicitis: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos &c.* Ad quæ verba, valde præclara dicit D. Gregor. Nyſſ. quæ Tract. 5. nu. 215. & ſeqq. alias retulimus & concludit D. Chryſoſt, *Tu legem ſcribis de venia & pœna, in tui cauſſa fers ſententiam: dimitte nobis ſicut dimittimus, vide quid dicas, nec contra te enſem, vt inſanus & furens ſtringas.* D. Chry. Hom. 38. in Ioann. To. 3.

Addit D. Auguſt. declarans hanc petitionem, quam Chriſtus in noſtram ſalutem ori noſtro ſuggeſſit: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos &c.* Comperta eſt Chriſto noſtra infirmitas, & quàm frequenter in peccata dilabimur, præſcribit nobis remedium generale pro omnibus illis, & medicinam cunctis animæ noſtræ morbis curandis vniuerſalem: cum quotidiana ſit eius infirmitas. Quæ eſt iſta? Te perſequentibus parcere, ſycophantis ignoſcere. Quotidie Deo bilem mones, indiges remedio. Quomodo hoc mihi? Manibus tuis hoc Dominus tradit, & teipſum tibi ſtatuit vt regulam & remiſſionis, quam petis, menſuram adæquatam. Res mira: Sunt actiones Dei, regula, veſtris actionibus: quòd ſi veſtras optetis perfectiſſimas, illum imitemini, eius ſint vobis actiones, prototypon. *Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* D. Paul. addit: *Imitatores eſtote Dei.* Sæpius audiuimus ex D. Gregor. *Omnis Chriſti actio, noſtra eſt inſtructio:* quod verum dicimus in virtutum actionibus, quòd velit, quanta noſtra fert poſſibilitas, eum imitemur. In vna vero ſola virtute comperies, Deum ſuas velle actiones, veſtris conformare & ſint veſtræ, eius regula actionum. Quas illas dixeris? Remittere iniurias: & vobis clarè dico: videte quid agatis, quia pro vt vos hic egeritis, & ipſe aget, & hoc vobis vult adeo certum fieri, vt vos ipſi illi hoc proprio ore dicatis: Domine, in eo quòd ego inimicis ignoſco, volo eſſe regula & menſura, ſecundum quam tuas inſtituas actiones. *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos &c.* Neſcio, ait D. Greg. Nyſſen. quid pluris Deus in tui gratiam facere potuerit: in hoc præſertim; cuius magis indigemus: quam te tibi & voluntati tuæ ſtatuere ſuarum regulam actionum. Beneficium tam extraordinarium, vt ſe Deus magis humiliare non poſſe videatur.

56 D. Aug. Ser. 9. de diuerſis c. 11. & ſeqq.

Matt. 5. 48. Epheſ. c. 5.

Hinc collige cum D. Auguſt. quanto ordine Chriſtus procedat in orationis Dominicæ petitionibus. *Pater noſter:* quod reſeruans pro vltima petitione, noſtrorum veniam delictorum, & id eâdem menſurâ, quâ aliis menſi fuerimus, ſta-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tim addit: *Et ne nos inducas in tentationem.* Quæ eſt, (rogat D. Aug.) tuô iudicio omnium perniciosiſſima tentatio, quæ Chriſtiano homini poteſt obeſſe? Delinquentibus nolle demittere, vltionis auiditate flagrare? Quid credis & times saluti & vitæ tuæ magis contrarium? Dices; morbos, febres, lateris dolores, præfocationes, paralyſin, hydropyſin, exanthemata &c. Falleris: aliud longè poteſt eſſe: Et quod illud? hoc nimirum, quod medicinis, quibus morbis mederi opus eſt, tolleret omnem vim operatiuam. Exponit Spiritus S. Dei miſericordiam quicum prænoſſet multas eaſdemque diuerſas in mundo futuras infirmitates, quibus homines grauiter opprimerentur, in earum remedium medicamenta produxit hæc illis, illa his morbis vtilia. *Altiſſimus creauit de terra medicamenta, & vir prudens non abhorrebit ea.* Quæ eſſet infirmitas grauior? quod venenum magis peſtiferum? illud ſcilicet, quod medicinis vim tolleret effectiuam, tunc enim ex Hammonis fonte petenda foret medicina & eſſet morbus irremediabilis: actum eſſet. Qui tam prouidè corporis infirmitatibus ſtuduit per medicamenta curandis, ex eo quòd illis nos grauandos præſciret; deeſſe non poterat quin animæ infirmitatibus ſuas procrearet medicinas: quotidianum enim nouit hunc nobis eſſe caſum; eiſque tam ſagaciter prouidit, vt omnibus vnicam & vniuerſalem præſcripſerit medicinam. Et quænam, quæſo, hæc? Loquatur D. Auguſt. *Sanè antidotum, quod contra omnes putredines, contra omnium peccatorum venena plurimum valet, Hoc eſt, vt dicas, & verè dicas Domino Deo tuo: Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Hoc enim pactum cum ægrotis medicus conſcripſit, atque firmauit.*

*Eccl. c. 38. 4.*

§ IV. Efficaciſſimum peccatorum remedium eſt iniuriæ remiſſio.

*D. Aug. Ser. 34. de diuerſis c. 6. To. 10.*

Hinc conſequens eſt, illud perniciosiſſimum fore venenum; quod huic medicinæ virtutem eriperet: Quod vero illud? inimicis nolle dimittere iniurias. *Magna eſt tentatio* (aſſerit D. Auguſt.) *chariſſimi, magna tentatio eſt in hac vita, quando illud noſtrum tentatur, quo meremur veniam ſicubi tentati lapſi fuerimus. Horrenda tentatio eſt, quandò nobis tollitur, vndè aliarum tentationum vulneribus ſanari poſſumus:* Porro intelligite me, ait S. Doctor. *Scio nondum me intellexiſtis, adeſte animo, vt intelligatis.* Tentat te diabolus ad laſciuiam, auaritiam, gulam, iram, ſuperbiam &c. incidis in has tentationes quibus anima tua periculosè infirmatur: ſtatus eſt infauſtus, agitur de animæ ſalute. Noſti remedium? noui. Confuge ad Dei miſericordiam: accede, deprecare: *Dimitte nobis debita noſtra.* Verumtamen, caue, ne in tentationem incidas grauiſſimam & perniciosiſſimam. Quænam hæc? nolle te reconciliari fratri tuo, qui in te peccauit. *Horrenda tentatio, moleſta, tremenda omnibus viribus, omni virtute vitanda. Quæ eſt illa? quando nobiſcum agitur, vt vindicemus nos, ira exaſperatur, & frendet homo vindicari. Horrenda tentatio, vnde enim accepturus veniam fueras pro cæteris delictis, hoc perdis. Si quid aliis ſenſibus, aliis cupiditatibus peccaueras, hinc erat ſanandum, quia dicturus eras. Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus, debitoribus, noſtris.* Diabolus qui te mouet & inſtigat vt vindictam ſumas, omne tibi, conatur auferre huius medicinæ emolumentum ſine qua ſcelerum tuorum non curabuntur infirmitates. *Qui te inſtigat vt vindiceris perdet tibi, quod dicturus eras, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Illo perdito, cuncta tenebuntur, omnino nihil dimittetur. Tenete illud fortiter, fratres,* Ait idem D. Auguſt. *Qui adhuiuſmodi antidotum renuntiauerit, nulla illi ſpes ſalutis omnino remanebit. Qui mihi dixerit, non remitto peccata, quæ in me fortè homines peccant, non eſt, vndè illi promittam ſalutem.*

*D. Aug.*

*Serm. c. 11.*

Notum eſt, ait D. Aug. quod naui maris vndas perſecanti contingit, quæ cum tot ſcateat rimis, impoſſibile eſt aquam non ſubintrare, modo per illam, modo per aliam. In huius defectus remedium inuenerunt experti maris naucleri anthliam & cochlear, vt nauis aquâ euacuetur, hoc ſi omiſerint, actum eſt de naui. Vt naues, mundi huius pelagus tranſcurrimus, tot ſcatentes rimulis, quot ſenſibus, & potentiis, quibus quotidie ſubinfluunt imperfectiones, defectus, peccata: quæ niſi antliâ exhauriamus, iacta eſt alea, in profundiſſimum inferni demergemur. Dedit nobis expertiſſimus nauclerus, ad fauſtum nauigationis noſtræ iter cochlear, quo per anthliam aquam exhauriamus & ſentinam expurgemus: quæ eſt illa? *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus.* Omitte illud cochlear, quo peccatorum tuorum ſentinam expurges; æternum peribis. Audire libet eius verba: *Sententia iſta: Dimitte nobis debita noſtra &c. Sic eſt in corde hominis quomodo cadus. Inde ſentinatur nauis in pelago, non poteſt niſi aquam admittere per rimas compaginis ſuæ, quæ ſi non exhauriatur, nauem opprimet: Sic in iſta vita, habemus quaſdam mortalitatis fragilitatiſque noſtræ rimulas, per quas intrat peccatum de fluctibus huius ſæculi. Accipiamus tanquam ſitulam, iſtam ſententiam, ne demergamur: dimittamus debita debitoribus noſtris,*

*Ibid. 13. & Lib. 13 Homil. Hom. 42. c. 9.*

V. Similitudo.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*ſtris, vt dimittat nobis Deus debita noſtra. Qui vult dicere efficaciter,* (adiungit idem D. Auguſt.) *Dimitte nobis debita noſtra, oportet quòd dicat veraciter, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, ſi hoc, quod eſt poſterius, aut non dicit, aut fallaciter dicit, illud quod prius eſt, inaniter dicit.* *(D. Avg. Lib. 50. Ho. Hom. 42. c. 6. To. 10.)*

Optimè hoc nouerat cæleſtis magiſter, (vt notat idem D. Aug.) cum (qui nobis eam à ſe compoſitam orationem dederat, in qua continentur omnes petitiones eorum omnium, quæ nobis ſunt neceſſaria ad corporis & animæ ſalutem; petimus enim vt Dei nomen in nobis ſanctificetur, hoc eſt, vt nos reddat ſanctos, vt det nobis regnum ſuum, & panem quotidianum &c.) ſuper illarum nullam reflectat niſi ſuper hanc: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris,* tamquam quæ nobis permaximè expedit, & immediatè ſubiungit: *Si dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater veſter cæleſtis delicta veſtra.* Et ratio patet: quod ſi in prioribus petitionibus erraueris, ecce remedium præſens, vt hanc nimirum adimpleas; porro in hac ſi erraueris omni caret aliæ remedio. *Quare poſt finitam orationem, non aliquid inde nobis tractauit, vel quod à capite poſuit, vel quod in fine concluſit, vel quod in medio collocauit? Si enim non id vobis ſanctificatum fuerit nomen Dei, aut ſi non pertinueritis ad regnum Dei, aut ſi Deus non vos cuſtodierit, vt non intretis in tentationem, quare nihil horum? Sed quid? Amen dico vobis, quia ſi dimiſeritis &c. propter illud, dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris: prætermiſſis omnibus petitionibus quas nos docuit, illam maximè docuit.* Super illa Dominus non reflectit, quod ſi in illis quis delinquat, in hoc poſuit remedium, vnde ſuper illud datâ reflectit opera. *Non multùm fuerant illa commendanda in quibus ſi peccator eſt, vnde curetur agnoſcat, commendenda cætera, in quibus ſi peccaueris, non eſt, vnde ſaneris.* *(Ser. 9. &c. 12. — Matt. 6. 14. — D. Avg.)*

§. 18. *Huius legis obſeruatione, maximum omnium obtinetur donum, quod homini Deus concedere poteſt. & hoc eſt, vt in rei veritate ſit filius Dei.*

IAm ſecundum intelliges, quanti ſit commodi huic obedire mandato, ſi audieris id quod Chriſtus dicit; quòd illo medio obtinebis, donum ſublimiſſimum, quod Deus ipſe totâ ſuâ omnipotentiâ tribuere poteſt puræ creaturæ, quod eſt, ſua diuina gratia, quæ eſt diuinæ ſuæ naturæ quædam participatio, eminentiſſima quæ realiter & verè hominem facit filium Dei: filium Dei te implicat eſſe per naturam, ſed facit te talem per gratiam. O quæ gratia hæc tam immenſa! O quæ magnitudo & excellentia huius ſupernæ virtutis! quæ nos conſtituat filios Dei per gratiam, cum tales non eſſe per naturam omninò ſit impoſſibile: *Vt ſitis filij Patris veſtri.* Valde ſubtiliter expendit hoc D. Chryſoſt. *Cogita, obſecro, dilecte, quanta ſit huius virtutis magnitudo, & diſce, vel ex præmijs, quæ propter illam vniuerſi Dominus promiſit.* Præclarum quiddam eſt gratia, quam nobis Deus ad huius præcepti concedit obſeruantiam, ſicut liquidò patet, in eo quòd nos ad dignitatem filiorum Dei per gratiam attollat, & nobis hinc ſubſequatur præmij magnitudo, quam nobis promittit mandatum hoc cuſtodientibus Dominus vniuerſi. Hoc mirantur omnes. De quo eleganter D. Auguſt. *O mira ſemperque miranda diuina propitiationis benignitas: ſerui digni non ſumus, & ecce filij Dei facti ſumus, heredes quidem Dei, coheredes autem Chriſti.* O præcellens, & cæleſte donum. De hoc titulo plurimum Papa gloriatur: *Seruus ſeruorum Dei.* Si eſſe ſeruum & famulum Dei, res tanti ſit, vt ipſe ſummus Pontifex ſe ſeruum talis ſerui cognominet, quid erit, realiter nominari & eſſe filium Dei? Hanc incomprehenſibilem obtinebis altitudinem, ſi in rei veritate, & ſynceră charitate dilexeris eos, qui te oderunt, benefeceris tibi malefacientibus. Qui vltra tibi requirendum? Num quid ſublimius poſſet mens tua deſiderare? *(D. Chr. Ho. 27. in Gen. ad finem. To. 1. — D. Avg. Lib. medit. c. 16. To. 9.)*

Licebit nobis modò canere illud Dauidis: *Replet in bonis deſiderium tuum.* Hoc primum hominis fuit deſiderium: erimus ſicut Dij, & præſertim, vt notat D. Thom. erimus ſimiles filio Dei. Accedens diabolus, promiſit illi fraudulenter & mendaciter, ſe eius deſiderio ſatisfacturum, ſi rem inhibitam faceret, ſi Dei præceptum tranſgrederetur. Infelix ille tanto eius æſtuabat deſiderio, vt ſe in illam partem declinârit, & nedum factus non eſt ſimilis filio Dei, ſed & beſtiis comparatus: ſicut repetito carmine concinit Dauid: *Homo cum in honore eſſet, non intellexit: comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Adeſt Chriſtus Dominus, & *Replet in bonis deſiderium tuum.* O Homo: optas verè & realiter fieri filius Dei? Verene eſſe ſimilis ipſi Deo? Quò rem agas bonam, hoc tibi offero: *Diligite inimicos veſtros &c. vt ſitis filij Patris veſtri.* *(Pſ. 102. 5. — 3 p. q. 3. a. 8. — Pſ. 49. 20.)*

His

58 Hic gratiſſima erit ſententia D. Aug. quam proponit, vt marito perſuadeat, remittat opprobrium ſibi ab vxore illatum. Domine (ait) Herculanas vires hic deſidero. Procul abſit, replicat D. Auguſt. ſi fide viua præmium attenderis, quod tibi promittitur: *Si adſit fides, non erit durum.* Magnoperè demiratur Rupertus, qui fieri potuerit, quòd primæua illa mulier, tam cunctanter egerit, & ſine vlla commotione collocuta fuerit ſerpenti, & cum eo fœdus inierit. Num ignorabat illa, ſerpentem ex ſe loqui non poſſe, & eius linguam à natura alia ſuperiori moueri, quæ nec eſſet Deus, nec eſſe poſſet Angelus: cum ab ea exigeret, vt quid ageret contra Dei præceptum? Num latebat eam, illud, quod ei promittebat, per ſerpentem compleri non poſſe, dixero vlterius, nec per totam naturam creatam? Quid igitur mulierem detinuit, adeò ſecuram, & per otium colloquentem cum ſerpente, vt ſe vltro ei tradat, & proprij cordis dominium conſignet? Nihil te moueat (ait Rupert.) Attende, quàm præclara ei ſpondeat: ad minus, *Eritis ſicut Dij.* Propitius ſit mihi Deus: quàm libenter auditur is, qui aliquid promittit. Rem ſtupore dignam aduertimus in aulis Principum: Quàm patiens alter perferat & malos dies, & peiores noctes obmuteſcens, ſeipſum comprimens, demordens ſibi linguam, diſſimulans in rebus ſibi duriſſimis: ſpero enim, ait, Domine, quòd me ad talem commendam ſeu dignitatem, ſeu officium, ſeu locum honeſtum in patria mea promouebunt: Hac ſpe allectus, & promiſſis mendacibus, doloſis, & adulatoriis ſibi applaudit miſer hic: hac fultus, laboribus non parcit, ſilet in opprobriis, diſſimulat in dicteriis.

D. Aug. Lib. 2. de adulter. coniug. ad Pollentium. To. 6.
Lib. 3. in Gen. c. 3. Geneſ.
Gen. c. 3. 5.

Si fallacia promiſſa ſufficiant ad ineundum fœdus etiam cum ipſis ſerpentibus, & pacificè cum illis conuerſandum, an non plus ſatis erit promiſſum tam nobile. *Vt ſitis filij Patris veſtri qui in cælis eſt*, iuratum ab eo, qui nec mentitur nec mentiri poteſt: vt fœdus ineas cum eo, qui tibi ſerpens eſt, cum inimico, qui tibi inuidet, qui te offendit? O Domine ſerpens eſt, coluber eſt, venena ſpirans. Tranſeat, ſed aures arrige ad ea, quæ tibi promittuntur, ſi fœdera pacis cum eo ſanciueris, ex charitatis viſceribus: remiſſionem peccatorum, & culparum obtinebis indulgentiam, Eris ſicut filius Dei per gratiam quâ regni cæleſtis & gloriæ felix hæres efficiaris. Amen.

# SVMMARIVM

## HOMILIÆ QVARTÆ SEQVENTIS.

COMPREHENDIT Sanctum Euangelium ſtupendum plane miraculum quod iam pridem ceciner at Dauid, perpendens in eo ſex admiratione digniſſima *a*. Et per hoc proponit nobis Chriſtus octo documenta. Primum, quod nobis immittat tempeſtatem, in bonum noſtrum *b*. vt maioribus nos periculis eripiat *c*. Secundum, quod, vt qui nauigat, timeamus periculum, cui vt exponatur nauis, ſufficit vel paruus ventus *d*. & proinde in hoc mundo, quo quis ſanctior, eo timet magis *e*. Tertium, ventus eſt, quidquid nos moleſtat *f*. Quartum, mundi proſperitatibus minimè fidendum: ſubito enim illas inſequitur tempeſtas *g*. Quintum, vt animos ſumamus in his quæ patimur, ſcientes nos habere Deum ſpectatorem *h*. cuius oculi nobis vires & alas addunt, multo efficacius, quam ſtruthionis pullis ſuis *i*. Sextum, quod celerrimus incedat inflatas calcans vndas, vt noſtras ſedet tempeſtates *k*. Septimum, quod quando Dei præſtolamur auxilium, fortiores ingruant nobis calamitates, idque ad ſalutem noſtram: quia ſæpe venit in eo, quod nobis videtur phantaſma *l*. Octauum, vt conſideremus, quod ille ſit, qui proprietate verbi dicere poteſt: *Ego ſum*; quo nobis ſpem erigit in deſperatiſſimis laboribus *m*.

a §. 1.
b §. 2.
c §. 3.
d §. 4.
e §. 5. 6.
f §. 7. 8.
g §. 9.
h §. 10.
i §. 11. 12.
k §. 13.
l §. 14.
m §. 15.